

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (10)

3.4.1. De progressu interno deque abbazia

3.4.1.1. De propositis inceptisque

Etiam si Ildefonsus Schober propter condiciones suas speciales et laborum et valetudinis in munere superioris generalis denuo suscipiendo haesitaverat, tamen re denique decretā munus suum impetū solito iterum suscepit. Iam die 10^o m. Ian. a. 1900^o epistulam circularem ad omnes Ottilianos directam¹ misit, quā eos non solum de condicionibus certiores fecit, sed etiam affirmavit se pro viribus suis id effecturum esse, ut «*adhuc imperfecta perficerentur, adhuc inordinata ordinarentur*».² Praeterea ex omnibus eius verbis apparet, quantopere Ildefonsus Schober cum Ottilianis atque cum totā congregatione se coniunctum sensit.³

Haec epistula erat quidem satis generalis tamen necessitatem exhibens, quā multa opera essent adhuc facienda, ad quae, ut ad bonum effectum adducerentur, ipse Ildefonsus Schober cooperando multa attribuere vellet. Sed iam paucis diebus post, id est die 25^o m. Ian. a. 1900^o, alteram epistulam circularem et ad domum matricem et ad regionem missionariam direxit,⁴ quā tunc agebatur de quaestionibus specialibus.⁵ Nam postquam Ildefonsus Schober ibidem primo breviter ea comprehendit, quae inter primum triennium facta atque effecta sunt (quae ceterum non erant pauca), principium fundamentale denuo verbis expressit, nempe fundamentum monasticum Benedictinumque congregationis Ottiliensis omnino non esse addubitandum, cum ab hōc fundamento dependeret non solum ipsa existentia congregationis, sed etiam Ildefonsi Schober proprium munus propriique labores in hac congregatione. Sequuntur autem quaestiones exactae, quae divisae sunt in partes tres et quae

¹ Alloquebatur enim idem omnes superiores atque patres, omnes fratres atque sorores, qui quaeve et in patriā et in regione missionariā versabantur.

² Textus originaliter Theodiscus.

³ De textū Theodisco huius epistulae circularis cfr Frumentius RENNERT: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien ²1979, pp. 304 sq.

⁴ Cfr Ildefonsi Schober epistula circularis die 25^o m. Ian. a. 1900^o data (ASO, A.3.3.2).

⁵ Cfr etiam Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), pp. 307 sqq.; Johanna BUSCHMANN: «Funda nos in pace». In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 90; Hartmut MADL: Pater Coelestin Maier (1871-1935). Gründerabt des Missionsklosters Schweiklberg und Apostolischer Administrator in temporalibus der Missionsbenediktiner von St. Ottilien. Winzer 1999, p. 74.

spectant primo ad Constitutiones anno 1897^o exaratas,⁶ porro ad sorores earumque cooperationem,⁷ denique ad possibilitatem, quā Praefectura Apostolica fiat Vicariatus Apostolicus.⁸ De illis omnibus quaestionibus Ildefonsus Schober opiniones propositaque singulorum monachorum petivit atque eadem audire desideravit.⁹ Ex responsis tunc de modo procedendi decernere

⁶ Interrogatum est hōc in conexū generaliter de his Constitutionibus, de adnotationibus ad certa earum puncta, de appendice missionaria et de votis sollemnibus, num iam illo temporis momento proferenda essent.

⁷ Quaerebantur opiniones, quid monachi sentirent de cooperatione sororum in ipsā regione missionariā, et interrogabantur, num missionarii in statione suā sorores exoptarent atque qualia munera sororibus attribuenda essent. - Hōc in conexū etiam scitū digna est adnotatio Ildefonsi Schober, quā dixit sequelas pro totā congregatione iam nunc esse respiciendas, cum sorores propriam congregationem quadamtenus separatam formarent. Nam iam alias societates missionarias earum cooperationem desiderare atque quaerere. - Hōc problema revera iam paucis annis post exortum est (de hac re *cfr* infra).

⁸ Interrogabatur, utrum evectio Praefecturae in Vicariatum iam tunc temporis petenda esset an nimis matura esset. Porro quaerebatur, num talis evectio esset optabilis et qualia desideria sive personalia sive realia monachi hac in re haberent, denique utrum regioni missionariae aliud nomen dandum esset an eadem dividenda esset.

⁹ Quaedam epistulae sponsoriae asservatae sunt. Scitū dignum ex. gr. est etiam responsum P. ris Ambrosii Mayer, superioris Africanæ stationis Madibirensis (ASO, A.3.3.2). Qui scripsit (ceterum scripturā manuali difficillime lectū) se post calamitatem anni 1896ⁱ desideravisse monasterium Ottiliense in Congregationem Beuronensem receptum iri. Illo tempore vim vitalem et in patriā et in missione defuisse, cum congregatio ex radicibus aegrotavisset. Si autem dubitationes reconvalescendi exstarent, rem statim finire melius esse. Tamen idem putat post tantam contentionem virium tot hominum adhuc spem exstare. Quod attinet ad Constitutionum appendicem missionis ipse existimavit normas nimis subtiles apud missionarios esse obstacula operum. De eruditione missionariorum futurorum postulavit, ut patres atque studentes iam in domo maternā labores manuales et discerent et vere exanclarent (id quod illo tempore non iam ita fieret, ut critice adnotavit). Nam missionarios esse debere fortes, peritos, circumspectos opifices. Alumnos enim studiis transactis saepe esse phthisi affectos vel saltem malis nervis laborantes et hunc in modum ad missionem non iam aptos. Ea, quae alumni quoad praxim vivendi laborandique in seminario non discerent, eos etiam postea non iam discere. Tamen illi viro practico, qui P. Ambrosius erat, etiam eruditio spiritalis erat maximi momenti. Nam putat omnino necessarium esse, ut alumni linguam Latinam quam plurimam discant, ita ut etiam liberam compositionem atque elocutionem sciant; similiter ut multum discant linguam Graecam. Ut alumni praeter brevem introductionem in auctores paganos per duos annos imprimis praecipuos patres ecclesiasticos Latinos Graecosque legant, P. Ambrosius postulat. Accedant etiam studia vere theologica atque profunda discentia catechismi. Itaque P. Ambrosius Mayer

voluit.

Ex hac epistolā circulari atque ex aliis quōque sentiētiis ab ipso prolatis¹⁰ apparet, quales scopi Ildefonso Schober fuerint, quos in secundo triennio ad effectum adducere voluerat. Nam magni momenti ei erat unā ex parte, ut Constitutiones retractarentur¹¹ atque primum Capitulum generale perageretur, quo unā cum repraesentantibus missionis de quaestionibus quibusdam fundamentalibus consultationes fierent. Alterā ex parte intra hōc triennium Ildefonsus Schober evectionem prioratūs Ottiliensis in abbatiam atque evectionem Praefecturae Apostolicae in Vicariatum Apostolicum ad effectum adduci voluit.¹² Ex his propositis apparet non solum quaestiones domūs maternae, sed etiam condiciones missionariae ei cordi fuisse.

Quod autem attinebat ad condiciones missionarias diiudicandas difficultas quaedam in eo erat, quod Ildefonsus Schober decreto diei 5ⁱ m. Ian. a. 1901ⁱ propter valetudinem suam affectam ab visitatione canonicā regionis missionariae dispensatus erat neque ei impositum erat, ut vicegerentem illum mitteret. Tamen Ildefonsus Schober solutionem huius problematis quaesivit. Itaque epistolā die 19^o m. Ian. a. 1900^o ad senioratum Ottiliensem directā interrogavit, num, cum ab aliis externisque hominibus de rebus missionariis Ottiliensibus Congregationi de Propaganda Fide referri nollet, unus ex patribus senioribus ad unum alterumve annum in Africam mitti posset.¹³ Ei non in animo erat, ut ille pater ut visitator officialis veniret, sed ut cooperator atque relator. Patribus Ottilianis videtur hōc propositum non displicuisse, quā de

plurima in eruditione fieri desideravit, sed - quod est maximi momenti - eius deliberationes non sunt unilaterales, cum eisdem et theoria et praxis respiciantur.

Breviter etiam memorandum esse videtur responsum P. ris Dominici Enshoff (ASO, A.3.3.2), quod revera est lucubratio triginta quinque paginarum. Eādem autem fuse in quaestiones maiores, sed saepissime in quaestiones minimas incumbit argumenta quaedam variis locis denuo iterans. Est vero scriptum - quamquam eidem index rerum agendarum anteponitur -, quod structurā aliquatenus caret.

¹⁰ *Cfr* ex. gr. Ildefonsi Schober epistula die 27^o m. Nov. a. 1899^o ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.1.8.1).

¹¹ De hac re *cfr* supra cap. 3.3.3.

¹² Johanna BUSCHMANN (2003), pp. 89 sq.; Leander BOPP: Die ersten fünfzehn Jahre unserer Missionstätigkeit in Ostafrika 1887-1902. St. Ottilien 1956, p. 118 (typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum); Leander BOPP: St. Ottilien fünfzig Jahre Abtei. St. Ottilien 1952, p. 6 (typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum).

¹³ *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), pp. 305 sqq., qui etiam partem ipsius epistolae exhibet.

causā ad illud officium explendum P. rem Thomam Spreiter¹⁴ elegerant, qui vir peritus atque indole practicā praeditus illo tempore erat subprior monasterii Ottiliensis.¹⁵ Idem denique die 6^o m. Aug. a. 1900^o in Africam profectus est atque P. Norbertus Weber in eius locum subprioris successit.¹⁶

Praeparationes ergo iam incohatae atque aliquatenus factae erant, quae ad finem definitivum ducerent, id est ut prioratus Ottiliensis in abbatiam evereretur atque hunc in modum Ottiliani omnino propriis viribus agerent neque diutius auxilio externo indigerent. Tamen hic progressus paulo retardabatur. Nam superiores, ex quibus talia dependebant, illo tempore aegrotabant. Primo mense Septembri a. 1900ⁱ P. ri Ludgero Leonard sectio chirurgica subeunda erat, quā quidem eius valetudo restituebatur, sed ex quā idem solum lentissime restitutus est.¹⁷ Maximae curae Ottilianis imprimis etiam erant, cum mense Septembri a. 1901ⁱ Ildefonsus Schober Friburgum se conferre coactus esset, ut ibidem sectionem chirurgicam subiret.¹⁸ Condicio eo difficilior erat, cum omnes scirent Ildefonsi Schober valetudinem propter nimios labores iam affectam fuisse. Sed eius manus dirigens adhuc omnino necessaria erat.

¹⁴ P. Thomas [Franciscus Xaverius] natus erat die 28^o m. Dec. a. 1865^o Ratisbonae et pertinebat ad primos, qui Ottilianis se adiunxerat. Mense Februario a. 1888ⁱ vota iam protulerat.

¹⁵ *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 306; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 90; Cyrill SCHÄFER: Stella Maris. St. Ottilien 2005, p. 52; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. *In*: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (edd.): Zukunft aus empfangenem Erbe. 100 Jahre benediktinische Missionsarbeit. St. Ottilien 1983, p. 97. - Dominicus Enshoff in epistulā suā responsoriā (ASO, A.3.3.2) [vide supra adn. 9] de P. re Thoma Spreiter in Africam mittendo adnotat se non propter ipsam personam dubitationes habere, sed propter ipsius statum valetudinis. Nam Thomas Spreiter in initio anni 1900ⁱ morbo tuberculosis aliquatenus affectus fuisse videtur et Dominicus Enshoff de eius salute timebat. Tamen Thomas Spreiter postmodum plurimos annos variis in locis Africanis versabatur.

¹⁶ *Cfr* Chron. Ottil. m. Iul./Oct. a. 1900; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 307; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 90; Paulus WEISSENBERGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation in St. Ottilien. *In*: Studia Suarzacensia. Würzburger Diözesangeschichtsblätter 25, 1963, p. 304; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 52.

¹⁷ *Cfr* Chron. Ottil. m. Iul./Oct. a. 1900, m. Nov. a. 1900, m. Dec. a. 1900, m. Ian. a. 1901, m. Mart. a. 1901; Missionsblätter 5, 1901, p. 31. - *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 312.

¹⁸ *Cfr* Chron. Ottil. m. Oct. a. 1901, m. Maii a. 1902; Missionsblätter 5, 1901, pp. 122 sq. - *Cfr* Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 312; Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 304 sq; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 55; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 90.

3.4.1.2. De domibus Ottilianis intra Germaniam et extra eandem conditis

Etiam si quibusdam in rebus - sicut semper esse solet - quaedam momenta retardationis sustinenda erant, tamen etiam illo tempore progressus quidam fiebant. Spectemus hōc in conexū extentionem congregationis tam in Germaniā quam in Africanā regione missionariā. Utraque pro prospero tempore futuro erat magni momenti.

Ottiliani iam per aliquod spatium temporis in Franconiā locum aptum ad condendum quaerebant. Scopus autem erat duplex: nam unā ex parte Ottiliani in aliā parte Bavariae sedem instituere voluerunt, quā homines praesentiā suā ad munus missionarium allicerent atque hunc in modum et augmentum missionariorum et auxilium pecuniarium invenirent. Alterā ex parte locum desideraverunt, ubi alterum seminarium missionarium ad discipulos iuniores docendos instituerent.¹⁹

Varios locos variis itineribus factis Ottiliani iam inspexerant, cum aliquatenus ex improvise in aedificium non longe ab Suinfurto²⁰ situm inciderent, quod «balneum Ludovici» appellabatur.²¹ In initio haesitaverunt, num hōc aedificium non bene curatum emerent, et compluries rem inspexerunt. Primo aderant mense Ianuario a. 1901¹ P. Norbertus Weber et Fr. Paulus Sauter, quibus praeterea alia loca inspicienda erant. Deinde in initio mensis Iulii a. 1901¹ vēnērunt P. Coelestinus Maier et P. Dominicus Enshoff,²² qui tamen

¹⁹ Cfr Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach in Franken. In: Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. II. St. Ottilien ²1992, p. 54; Leander BOPP (1952), p. 64; Stephan AMON: Von St. Ludwig nach Münsterschwarzach. In: Benediktinische Monatsschrift 27, 1951, p. 507.

²⁰ Suinfurtum: *Schweinfurt*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern. Wiesbaden 1971, p. 225.

²¹ De vicissitudinibus atque historiā huius loci, cuius nomen Theodiscum est *Ludwigsbad*, et de modo, quo Ottiliani in eundem inciderunt, cfr Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Frumentius RENNER: Leuchter II (²1992), pp. 55 sqq.; Stephan AMON (1951), pp. 507 sq.

²² Ut ex Chronicis Ottiliensibus (m. Iun. a. 1902) cognoscitur, P. Dominicus Enshoff die 20^o m. Iun. a. 1902^o iterum ad domum Sancti Ludovici vectus est, ut ibidem operibus aedificatoriis praeesset. - Ut decursū huius relationis iam saepius apparuit, P. Dominicus Enshoff plurimis in rebus cooperatus est, sed etiam plurima proposita plurimasque ideas habuit, quae non semper ad effectum adduci potuerunt. Tamen interdum incitamenta quaedam ab ipso exorta sunt. Propter indolem vividam (et fortasse paululum intranquillam) etiam in multas quaestiones se inserere solebat. - P. Dominicus Enshoff anno 1898^o ut repraesentans monasterii Ottiliensis etiam primo conventui intererat, quo superiores religiosorum ordinum missionariorum

rem nondum definitive decreverunt, sed iidem sententiam P. ris Placidi Vogel exspectaverunt, qui aedificium sub aspectū futuri seminarii missionarii inspicere. Postquam et conventus Ottiliensis et Ildefonsus Schober rem comprobaverunt, mense Iulio a. 1901^o Prior P. Ludgerus Leonard atque Fr. Paulus Sauter advēnerunt atque die 12^o m. Iul. a. 1901^o aedificium emerunt.²³ Hunc

consultationes inierunt. Nam mense Februario a. 1898ⁱ religiosi ordines atque consociationes in missionem incumbentes ab praepositis «Germanici Musei Colonici» invitati sunt, ut museum condendum participarent. Illā invitatione instigati superiores ordinum missionariorum (sive eorum repraesentantes) P. re Arnoldo Janssen, fundatore Societatis Verbi Divini, rogante atque praesidente primā vice die 24^o m. Aug. a. 1898^o Crefeldiae [*Krefeld*] convenerunt, ut de quaestione musei, sed imprimis de aliis quaestionibus communibus colloquia instituerent. Ibīdem autem consiliarius cancellariae Vincentius [*Vinzenz*] Enshoff, pater Dominici Enshoff, domum suam prae-buit ad hunc conventum instituendum. Videtur Vincentius Enshoff iam tempore conflictationis culturalis libenter domum suam sacerdotibus hospitibusque religiosis prae-buisse. Cum anno 1898^o Ildefonsus Schober superior generalis congregationis Ottiliensis esset, verisimiliter ipse hunc conventum adire non valuit, quā de causā unus ex Patribus illuc missus est, qui iam diutius sodalis congregationis erat (P. Dominicus Enshoff anno 1890^o vota protulerat). Quod P. Dominicus Enshoff ut repraesentans monasterii Ottiliensis conventum participavit, certe etiam inde intellegitur, quia tota res in domo Vincentii Enshoff locum habuit. Illo autem conventū anni 1898ⁱ instituebatur «Consociatio superiorum religiosorum ordinum Germanicorum» [*«Vereinigung Deutscher Ordensobern»* (VDO)], quae usque in hodiernum diem exstat. - *Cfr* Karl SIEPEN: Die «Vereinigung Deutscher Ordensobern» nach Akten und Berichten der Vereinigung Deutscher Ordensobern. In: Ordenskorrespondenz 5, 1964, pp. 104 sq.; Antonia LEUGERS: Interessenpolitik und Solidarität. 100 Jahre Superioren-Konferenz Vereinigung Deutscher Ordensobern. Frankfurt/M 1999, pp. 27 sqq. - Omnino autem non intellegitur, cur Frumentius RENNER: Leuchter III (1990), p. 40 scribat Dominicum Enshoff septendecim annos natum anno 1885^o foundationem huius «Consociationis superiorum» instigavisse, cum rei omnibus ex partibus non conveniat.

²³ *Cfr* Chron. Ottil. m. Iul. a. 1901; Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Frumentius RENNER: Leuchter II (²1992), pp. 58 sq; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 328; Frumentius RENNER: Leuchter III (1990), p. 117; Cyrill WEHRMEISTER: Die Entwicklung der Erzabtei und der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Lumen Caecis (1928), p. 156; Cyrill WEHRMEISTER: Die Benediktinermisionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 25; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 304; Paulus WEISSENBERGER: Das benediktinische Mönchtum im 19./20. Jahrhundert. Beuron 1953, p. 62 nr 372; Leander BOPP (1952), p. 64; Stephan AMON (1951), p. 508; Hartmut MADL (1999), pp. 73 sq., qui indicat aedificium die 11^o m. Iul. a. 1901^o esse emptum. - Ut ex Chronicis aliisque fontibus apparet aedificium illo tempore 45000 marcis constitit. Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Frumentius RENNER: Leuchter II (²1992), p. 59 pretium 42000 marcarum indicat.

in modum nova domus filia condebatur, quae nomen Sancti Ludovici accepit. Praeposito autem nova domus P.ri Placido Vogel tradita est,²⁴ qui unā cum P.re Hildebrando Allmendinger iam die 29^o m. Iul. a. 1901^o advēnit. Paulo post iam Fr. Paulus Sauter, qui ad tempus quoddam ibi versabatur, aedificium restituere atque novis indigentis adaptare coepit. Domus autem Sancti Ludovici eiusque progressus erat magni momenti cum nonnullis annis post ageretur de congregatione Ottiliensi instituendā.²⁵

Sed similiter magni momenti erat progressus in Africanā regione missionariā, cum de eius condicione atque de opinione superiorum missionariorum dependebat quaestio, num Praefectura Apostolicā in Vicariatum Apostolicum eveheretur.²⁶ In epistolā circulari in initio mensis Ianuarii a. 1900ⁱ missā Ildefonsus Schober Ottilianos interrogaverat, num tempus ad talem mutationem iam maturum esset.²⁷

Sed spectemus breviter domūs stationesque Africanas, quae illo tempore conditae sunt.²⁸ Actione atque impulsū Praefecti Apostolici P.ris Mauri Hartmann rete stationum missionariorum multum extentum erat. Iam mense Febuario a. 1895ⁱ in loco, qui est Lukuledi, statio condebatur, quam anno 1900^o P. Antonius Ruedel cum fratre quodam converso tenuit.²⁹ Opportunum autem esse putabatur inter locum Lindi atque locum Lukuledi stationem intermediam erigere. Hōc factum est mense Septembri a. 1896ⁱ, quo tempore statio Nyangao condita est. Hanc stationem anno 1900^o P. Alfonsus Adams

²⁴ Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 304; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 328; Frumentius RENNER: Leuchter III (1990), p. 117; Hartmut MADL (1999), p. 74; Stephan AMON (1951), p. 508; Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Frumentius RENNER: Leuchter II (²1992), p. 60. - Cyrillus Wehrmeister in recordationibus suis (Erinnerungen, p. 37 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum (ASO, A.1.8.3)] commemorat P.rem Placidum atque P.rem Hildebrandum commitari sibi licuisse et se quōque prima chronica Sancti Ludovici scripsisse.

²⁵ De hac re *cfr* infra.


²⁶ De hac re *cfr* infra cap. 3.4.3.

²⁷ Cfr Ildefonsi Schober epistula circularis die 25^o m. Ian. a. 1900^o data (ASO, A.3.3.2).

²⁸ De tempore anteriore *cfr* cap. 2.3.3.3.

²⁹ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter II (²1992), p. 132; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 311; Leander BOPP (1956), pp. 71 sqq.; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 45; Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 161.

unā cum fratre quodam converso atque quattuor sororibus rexit.³⁰ In fine anni 1896ⁱ magis ad finem occidentalem regionis missionariae ab P.re Ambrosio Mayer condita est statio Iringa / Tosamaganga,³¹ cui anno 1900^o P. Severinus



Zanguebaria Meridionalis in initio saeculi vicesimi.

[Frumentius RENNER: *Leuchter II* (¹1992), p. 133 (nomina Latine adaptata)]

Hofbauer praeerat. Eidem adstabant Fr. Cilianus Rūth, duo fratres laici atque tres sorores.³² Mense Maio a. 1897ⁱ P. Alfonsus Adams in regione, quae in

³⁰ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 74 sqq.; Frumentius RENNER: *Leuchter II* (²1992), p. 132; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 311; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 45; Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 161; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94.

³¹ Ut Leander BOPP (1956), p. 77 explicat, haec statio missionaria in initio Iringa appellabatur, sed inde ab anno 1899^o nomen Tosamaganga apparet, sed usque ad annum 1900^{um} etiam nomen Iringa adhuc adhibitum est.

³² Cfr Leander BOPP (1956), pp. 76 sqq.; Frumentius RENNER: *Leuchter II* (²1992), p. 132; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 311; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 45; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94.

oriente stationis Tosamagangae sita est, novam stationem, cui nomen Madibira, condidit. Ibīdem anno 1900^o P. Ambrosius Mayer unā cum fratre quodam laico operabatur.³³ Mense Iulio anni 1898ⁱ P. Cassianus Spiss in regione populi, qui Ungoni appellantur, stationem instituit, cui nomen Peramiho dabatur. Ipse P. Cassianus Spiss anno 1900^o ibīdem erat praepositus, quem in operando adiuverunt P. Iohannes Häflinger atque duo fratres laici.³⁴ Mense Octobri a. 1899ⁱ P. Innocentius Hendle stationem Kigonseram condidit, quae non nimis longe ab statione Peramiho distabat. Īdem autem anno 1900^o ibīdem unā cum fratre quodam laico operabatur.³⁵ Ultima statio, quae illo temporis spatio condebatur, erat Kwirow. Eadem enim mense Maio a. 1902ⁱ instituebatur ab P.re Innocentio Hendle atque P.re Francisco Leuthner.³⁶ Commemorandum etiam est in fine anni 1901ⁱ in loco Lindi Sancti Antonii domum procuratoriam, quae dicitur, instructam esse, unde stationes meridionales regionis missionariae rebus necessariis suppeditabantur.³⁷

Uti animadvertitur, spatio temporis, quod erat inter annum 1896^{um} atque annum 1902^{um} satis multae stationes condebantur atque hunc in modum actiones missionariae Ottilianorum extendebantur. Tamen hae omnes stationes tantummodo parvae erant atque semper difficultates habebant, cum indigentia cooperantium laborabant.

3.4.1.3. De rebus scholaribus

Ad progressum internum etiam ea spectabant, quae in rebus scholaribus facta sunt. Seminarium enim missionarium, quod dicitur, congregationi Ottiliensis erat maximi momenti. Nam ab initio, quo sodales sive sodales futuri domūs

³³ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 81 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter II (1992), p. 132; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 311.

³⁴ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 84 sqq.; Frumentius RENNERT: Leuchter II (1992), p. 132; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 311; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 46; Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 161; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94; MISSIONS-BENEDIKTINER. Ein Klosterführer durch vier Kontinente. St. Ottilien 2008, p. 101; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, pp. 51 sqq. - Ceterum statio Peramiho, quamvis nonnullas repulsas sustinere coacta esset, decursu temporis valde floruit atque anno 1927^o in abbatiam evecta est, quae usque in hodiernum diem exstat.

³⁵ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 86 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter II (1992), p. 132; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 311; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 46; Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 161; Siegfried HERTLEIN (1983), p. 94.

³⁶ Cfr Leander BOPP (1956), p. 87; Frumentius RENNERT: Leuchter II (1992), p. 132.

³⁷ Cfr Leander BOPP (1956), pp. 87 sq.; Frumentius RENNERT: Leuchter II (1992), p. 133.

missionariae ibīdem instruebantur, illius instituti scopus erat in eo, ut alumni, quantum fieri potuit, monachi sacerdotesque atque missionarii fierent. Seminarium ergo atque progressūs totius congregationis artē cohaerebant, cum ex seminario magna pars futurorum monachorum monasterii Ottiliensis expectaretur.

Quamvis iam Richopagi quaedam initia institutionis inveniantur, quae scilicet post transmigrationem ad locum Ambingensem Ottiliensemque continuebantur, tamen initium alicuius seminarii sensū aliquatenus strictiore dicitur anno 1891^o fuisse.³⁸ Etiamsi primo paucissimi alumni aderant, celeriter eorum numerus augebatur. Dicitur autem P. Severinus Hofbauer, qui usque ad annum 1895^{um} praefectus seminarii erat, bene de re meritis esse, cum non solum disciplinam strictam introduxisset, sed etiam id studisset, ut seminarium atque monasterium omnino separarentur.³⁹ Tamen studium magis ordinatum susceptum est inde ab anno 1895^o, quo aedificium Sancti Michaelis recenter aedificatum atque discipulis solis destinatum erat⁴⁰ et P. Placidus Vogel munere praefecti sive rectoris fungi coepit.⁴¹

Primis annis, quibus in monasterio Ottiliensi institutiones exhibebantur, structura «classium scholarium» erat satis multiplex, cum etiam discipuli aetate provectiores venirent, quorum eruditio, quam iam acceperant, erat satis diversa. Etiam magistris, cum magnā ex parte essent patres atque fratres monastici, plerumque non erant studia specialia illarum disciplinarum, quas docebant.⁴² Sed etiam haec condicio decursū temporis paulatim mutata est.

³⁸ Illo tempore novum monasterium sororum confectum erat et alumni ad aedificium tunc sibi proprium Sancti Michaelis transmigrare potuerunt.

De primis initiis seminarii *cfr* Leander BOPP (1952), p. 16; Narcissus HEFFELE: Die Missionsseminarien der Kongregation von St. Ottilien. *In*: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 171; Frumentius RENNERT: Zur Frühgeschichte der Seminarschule in St. Ottilien. *In*: Franz AUER (red.): 100 Jahre Gymnasium in St. Ottilien. St. Ottilien s.a. (1991), p. 5 (*cfr* Frumentius RENNERT: Frühgeschichte der Seminarschule, pp. 1 sqq. [typoscriptum, ASO, A.7.1.2]); Alois W. MAYER: Von den Anfängen des Seminars in St. Ottilien. *In*: Confoederatio Ottiliensis 5, 1966, pp. 1 sqq. (ASO, A.7.5.4).

³⁹ *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 16; Narcissus HEFFELE (1928), p. 171.

⁴⁰ *Cfr* supra cap. 2.3.7.7.

⁴¹ Idem hōc munere functus est usque ad annum 1901^{um}, quo superior domūs Sancti Ludovici recenter conditae factus est.

⁴² Sic ex. gr. P.ri Placido Vogel, qui rector factus erat, non fuerant studia specialia; P. Norbertus Weber per aliquos annos linguas Latinam Graecamque, mathematicam atque physicam docuit. Tamen etiam magistri quidam externi adhibebantur. - *Cfr* Antonia LEUGERS: Das Missionsseminar Sankt Ottilien. Von den Anfängen bis zur Aufhebung

Imprimis inde ab anno 1897^o res scholaris magis professionaliter tractata est, quo anno in seminarium curriculum gymnasiorum Bavaricorum introducta est.⁴³ Ex illo anno alumni, qui usque tunc tantummodo «examen quoddam maturitatis domesticum» superaverant, quo tamen licentiam vera studia universitaria peragendi non acceperant, etiam examen maturitatis officialiter agnitum superaverunt.⁴⁴ Tamen hōc non licuit fieri in ipso seminario missionario, sed alumni ad varia gymnasia Bavarica mittebantur, ubi examina externa, quae dicuntur, superanda erant.⁴⁵

Qualitas ergo eruditionis in seminario Ottiliensi exhibitae paulatim magis magisque aucta est. Itaque decursū annorum etiam numerus discipulorum crevit.⁴⁶ Etiam si hunc in modum quadamtenus bonus progressus percipiebatur, tamen illi, qui de seminario responsales erant, etiam problemata quaedam viderunt, quae ex mutato modo agendi exoriunda erant. Scitū autem dignae hōc in conexū sunt cogitationes atque deliberationes, quas Norbertus Weber, Dominicus Enshoff, Placidus Vogel, Coelestinus Maier anno 1901^o in epistulā ad Ildefonsum Schober directā protulerunt.⁴⁷ Solliciti enim erant iidem de condicione futurā seminarii et insimul, cum illae duae res artē cohaerent, de condicione quōque futurā congregationis Ottiliensis. Causa autem problematum, quae providerunt, erat in eo, quod illo tempore modus mutatus est, quo alumni in seminarium recipiebantur. Nam in initio seminarii valebat principium, quo nemo solum eā de causā ab receptione excluderetur, quia erat

in der NS-Zeit. In: Norbert KÖSSINGER (ed.): Hrabanus Maurus. Profil eines europäischen Gelehrten. Beiträge zum Hrabanus-Jahr 2006. St. Ottilien 2008, pp. 129 sq.; Leander BOPP (1952), p. 16 sq.

⁴³ Cfr Leander BOPP (1952), p. 17; Antonia LEUGERS (2008), p. 130; Narcissus HEFFELE (1928), p. 172; Frumentius RENNER: Frühgeschichte Seminar (1991), p. 10 (cfr Frumentius RENNER: Frühgeschichte der Seminarschule, p. 13 [typoscriptum, ASO, A.7.1.2]). - Emolumentum etiam erat in eo, quod discipuli, qui seminarium missionarium reliquerunt, sine difficultate ad gymnasium quoddam Bavaricum transire potuerunt.

⁴⁴ Cfr Antonia LEUGERS (2008), pp. 130 sq.; Narcissus HEFFELE (1928), p. 172; Frumentius RENNER: Frühgeschichte Seminar (1991), p. 10 (cfr Frumentius RENNER: Frühgeschichte der Seminarschule, p. 13 [typoscriptum, ASO, A.7.1.2]).

⁴⁵ Tamen cum examinibus externis semper difficultates varii generis coniunctae sunt, quibus discipuli subiciebantur. Quā de causā hic modus post nonnullos annos iterum mutatus est. De hac re cfr infra.

⁴⁶ De numeris discipulorum, qui illis annis in seminario versabantur, cfr Leander BOPP (1952), p. 17, sed imprimis Narcissus HEFFELE (1928), p. 174.

⁴⁷ Cfr epistula die 6^o m. Apr. a. 1901^o ad Ildefonsum directa (ASO, A.7.1.3).

pauper. Generaliter quidem alumni pro victū habitationeque certam summam pecuniariam contribuere expectabantur, sed pueri pauperes sive ab solvendo liberati erant sive reductione pretii fruebantur. Sed interea, ut scripserunt auctores epistulae, ille modus mutatus est in praeceptum strictum, quo omnibus alumni iam ab primo anno tota summa pecuniaria solvenda est atque illi discipuli, quorum parentes obligationes pecuniarias explere non iam valebant, dimittendi erant. Auctores autem epistulae illa praecepta nimis dura esse atque sequelas inopportunas pro tota congregatione habitura esse existimaverunt.⁴⁸

Condicionem vero recte perspectam habuisse videntur. Nam eorum argumenta erant haec:⁴⁹ primo numerum multo minorem alumnorum in futurum expectandum esse, id quod iam animadverti posset. Nam plures, qui propter pecuniam deficientem in seminarium Ottiliense recepti non essent, ad alias domos missionarias transiisse. Hunc in modum decursū temporis etiam detrimentum monasterii congregationisque expectandum esse. Deinde - quod magni momenti esset - illos alumnos, qui revera venirent, plerumque non esse aptos. Expectandum insuper esse imprimis tales alumnos venturos esse, qui indole non ita bonā praediti aliis in institutis non progredierentur, sed pecuniam solvere possent. Si Ottiliani imprimis pecuniam respicientes talibus alumni contenti esse deberent, in seminario paulatim «proletariatum spiritalem» ex familiis divitibus exoriundum praevalere.⁵⁰ Seminario eiusque famae hōc fore detrimento.⁵¹ Hōc argumentum primo aspectū fortasse aliquatenus mirum sonat, sed Placido Vogel, Norberto Weber, Coelestino Mayer Domini-coque Enshoff maximi momenti erat acquirere discipulos intellegentes, bonā indole praeditos attentosque, qui iam impetum quendam missionarium haberent. Nam ab alumni seminarium expectabatur eos examine maturitatis superato monasterium Ottiliense ingressuros esse. Inde etiam illa arta cohaerentia

⁴⁸ Auctores hōc in conexū dicunt, si prioribus temporibus sic actum esset, multos patres, qui nunc munere suo bene funguntur, in monasterio non esse neque multos alumnos provectiores optimāque indole praeditos in seminario adesse.

⁴⁹ *Cfr* epistula die 6^o m. Apr. a. 1901^o ad Ildefonsum Schober directa, pp. 3 sq. (ASO, A.7.1.3).

⁵⁰ In margine epistulae inveniuntur nonnullis in locis adnotationes Ildefonsi Schober, qui hōc in conexū adnotaverat se «ex stulto milionario tamen apostolum non reddere posse» (p. 4).

⁵¹ Tertium argumentum principale huius epistulae erat in eo, quo auctores dixerunt novo systemate paulatim etiam benefactores donatoresque amissum iri, cum pueri pauperes non iam reciperentur.

inter seminarium atque monasterium, ex quā quōque curae auctorum huius epistulae sunt exortae. Nam - ut auctores epistulae scripserunt - quaestio seminarii ad nullam rem minorem spectat quam ad existentiam congregationis.⁵² Deliberationes autem ibīdem exhibitae non manserunt sine effectū.

Annus autem 1901^{us} sub aspectū existentiae seminarii generaliter non erat nullius momenti.⁵³ Ministerium enim rerum internarum die 8^o m. Maii a. 1901^o ad magistratū districtū Landsbergensis epistolam direxit, quā agebatur de seminario domūs missionariae Ottiliensis.⁵⁴ Ibīdem refertur ad relationem Ildefonsi Schober, quā ille mense Octobri a. 1899ⁱ praeter alia de curriculo seminarii missionarii atque de bono progressū alumnorum scripsit. Inde officiales (sesquialtero anno post) concludebant in monasterio Ottiliensi institutum educatorium sine scientiā atque sine licentiā regiminis exstare. Quā de causā magistratibus Landsbergensibus mandatum est, ut rem inspicerent atque inquirerent.

Licentiam publicam scholae instituendae non exstitisse certe verum est, sed régime nihil de hac re scivisse mirandum est. Nam die 20^o m. Oct. a. 1894^o iam P. Andreas Amrhein petitionem seminarii instituendi ad régime miserat, quam vero Prior P. Ludgerus Leonard propter postulata ad aedificia spectan-

⁵² *Cfr* epistula die 6^o m. Apr. a. 1901^o ad Ildefonsum Schober directa, pp. 3 sq. (ASO, A.7.1.3). Similiter multis annis post iudicat Narzissus HEFFELE (1928), p. 175.

⁵³ Anno 1901^o praeterea etiam seminarium in domo Sancti Ludovici recenter conditā (*cfr* supra cap. 3.4.1.2) instructum est, quo eodem anno iam duae classes inferiores translatae erant. Porro anno 1901^o in Ottiliensi domo Sancti Gabrielis instructum est proprium institutum alumnorum operariorum. Tamen illo tempore tantummodo erat oecotrophēum, sed nondum schola professionalis. - Ceterum aedificium anno 1889^o Dillingae conductum, in quo fratres clerici habitabant, qui in studia theologica incubuerunt, relinquendum erat, quā de causā deinde clerici studia sua theologica Monaci susceperunt. Itaque Monaci collegium Ottiliense conditum est, primo etiam in aedificio quodam conducto. - *Cfr* Leander BOPP (1952), pp. 17, 22, 29; Narzissus HEFFELE (1928), p. 173; Frumentius RENNER: Frühgeschichte Seminar (1991), p. 10 [*cfr* Frumentius RENNER: Frühgeschichte der Seminarschule, p. 12 (ASO, A.7.1.2)]; Leander BOPP: Die Kollegien St. Ottiliens in Dillingen und München (1938), pp. 1 sq., 19, 29 sq. [typoscriptum in archivio Ottiliensi asservatum (ASO, A.4.3)]; Hermann BIBER: Vom St. Theresienhaus zum Priorat St. Bonifatius. Geschichte der Filiale der Missionsbenediktiner in Dillingen a.d.D. In: Jahrbuch des Historischen Vereins Dillingen an der Donau 103, 2002, p. 353.

⁵⁴ *Cfr* epistula ministerii rerum internarum die 8^o m. Maii a. 1901^o scripta (ASO, A.7.1.2).

tia die 19^o m. Aug. a. 1897^o iterum retraxerat.⁵⁵ - Sed propter mandatum ministerii magistratūs Landsbergenses in initio m. Iun. a. 1901ⁱ relationem composuerunt, quā singillatim de condicionibus internis externisque seminarii rationem redderunt et quā diligentiam, modum procedendi curriculumque atque statum aedificiorum satis laudaverunt.⁵⁶ Hac relatione acceptā atque postulatā explicatione ab P.re Placido Vogel rectore die 5^o m. Iun. a. 1901^o exhibitā⁵⁷ ministerium rerum internarum constituit necessariam licentiam modo suppletorio omnibus praeceptis observatis esse petendam.⁵⁸ Mirum autem in modum régime condicionem mancā sanare benigne paratum erat. Aliis autem in rebus erga Ottilianos magis rigidum se praebuerat.

Tamen pluribus consultationibus habitis⁵⁹ tota res aliquamdiu protracta est. Sed denique ministerium rerum internarum decreto die 27^o m. Oct. a. 1902^o exhibito seminarium Ottiliense approbavit.⁶⁰ Haec cura itaque ablata erat.

Scitū autem digna ea sunt, quae in Statutis seminarii missionarii Ottiliensis⁶¹

⁵⁵ *Cfr* Antonia LEUGERS (2008), p. 128; Viktor DAMMERTZ: Die staatsrechtliche Grundlegung der Kongregation von St. Ottilien. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 347 adn. 18; Frumentius RENNER: Frühgeschichte Seminar (1991), p. 8 [*cfr* Frumentius RENNER: Frühgeschichte der Seminarschule, pp. 5 sqq. (ASO, A.7.1.2)], qui etiam textum petitionis affert, quam P. Andreas Amrhein ad régime miserat. - Res ipsae etiam apparent ex epistulā ministerii rerum internarum die 8^o m. Maii a. 1901^o scriptā (ASO, A.7.1.2).

⁵⁶ *Cfr* relatio magistratuum Landsbergensium die 8^o m. Maii a. 1901^o ministerio data (ASO, A.7.1.2).

⁵⁷ P. Placidus Vogel responso suo opinionem protulerat, quā Ottiliani propter condiciones huius seminarii speciales licentiam non esse necessariam putaverant. Régimen vero explicuit talem opinionem iuridice esse erroneam.

⁵⁸ *Cfr* epistula ministerii rerum internarum die 20^o m. Iun. a. 1901^o ad magistratūs districtūs Landsbergensis data (ASO, A.7.1.2).

⁵⁹ Sic ex. gr. ministerium rerum internarum inspectione die 17^o m. Apr. a. 1902^o habitā scripto modo die 3^o m. Iul. a. 1902^o res monendas ad condicionem aedificiorum spectantes indicavit (ASO, A.7.1.2). Ad haec monenda die 7^o m. Aug. a. 1902^o (ASO, A.7.1.2) respondit P. Augustinus Mayer, rector successorque P.ris Placidi Vogel, qui praeter alia etiam rettulit aedificium seminarii, quod in praesenti esset in usū, tantummodo per duos annos adhibitum iri. Cogitavit ergo rector iam de aedificio monasteriali sanctimonialium, quod seminarium futurum provisum erat.

⁶⁰ *Cfr* epistula ministerii rerum internarum die 27^o m. Oct. a. 1902^o ad régime Bavariae Superioris data (ASO, A.7.1.2). - *Cfr* Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 347 adn. 18; Alois W. MAYER (1966), p. 2 (ASO, A.7.5.4).

⁶¹ *Cfr* textus Theodiscus Statutorum anni 1902ⁱ (ASO, A.7.1.2, A.7.1.3).

anni 1902¹ leguntur,⁶² cum scopus instituti, praecepta educationis, cogitationes fundamentales, condiciones, quibus alumni recipiuntur, et similia percipiantur. Legitur autem iam in initio scopum seminarii esse in eo, ut «*pueri probi atque bonā indole praediti educantur sacerdotes ordinis Benedictini missionarii*».⁶³ Tamen unilateralitas vitanda erat, cum esset in votis alumnus et formationem religiosam et eruditionem scientificam et exercitationem corporalem praebere.⁶⁴ Hic finis generalis specialiter explicatur illā in parte, quā agitur de institutione (§§ 12-22). Nam ibidem non solum dicitur fundamentum institutionis esse curriculum gymnasiorum Bavaricorum, sed etiam declaratur institutio religionis morumque fore vere profunda. Praeterea, cum agatur de futuro munere missionarii, specialiter docentia linguarum respicitur, id est discendae sunt lingua Theodisca, linguae modernae, quae muneri missionario imprimis sunt necessariae, et lingua Latina.⁶⁵ Sed magni momenti etiam erant institutiones delineandi, cantandi, rei musicae. - Alterā ex parte opera manualia quōque postulabantur. Nam leguntur haec:⁶⁶ «*Postmeridiano tempore unusquisque alumnus per dodrantem horae opus quodam manuale leve neque fatigans conficiat, sive in horto sive in aliqua officina. Inter ferias alumni cottidie tres quattuorve horas in agris occupari possunt in laboribus messoriiis.*» - Tali praecepto etiam animadvertitur munus futurum, quo alumni aliquando missionarii fierent, numquam in oblivionem venisse. Nam bonus sacerdos missionarius exspectabatur ad labores quōque manuales aptus esse.

Etiam si alumni ab horā matutinā quintā usque ad horam vespertinam septimam et dimidiam institutionibus, studiis, operibus occupati erant, tamen tempus subsicivum (quamvis non nimis diuturnum), recreationes atque motiones corporales respiciuntur. Ludi sub divo atque ambulationes regulariter faciendae expressis verbis commemorantur.⁶⁷

⁶² Textui subiuncta est adnotatio, quā discitur haec Statuta esse eadem, quae decreto statali supra indicato comprobabantur.

⁶³ Cfr Statuta seminarii, § 1 (ASO, A.7.1.2). - Textus originaliter Theodiscus.

⁶⁴ Cfr Statuta seminarii, § 2 (ASO, A.7.1.2).

⁶⁵ Legitur ibidem discipulum linguae Latinae tam peritum fieri debere, ut modo scripto atque vivā voce exacte, apte atque sine difficultate verbis se exprimere valeat. - Cfr Statuta seminarii, § 16 (ASO, A.7.1.2).

⁶⁶ Cfr Statuta seminarii, § 36 (ASO, A.7.1.2). - Textus originaliter Theodiscus.

⁶⁷ Cfr Statuta seminarii, §§ 26, 35 (ASO, A.7.1.2).



Alumni seminarii anno 1896° in ambulando.
 [Franz AUER (red.): 100 Jahre Gymnasium (1991), p. 9.]

Magni autem momenti est illa statutorum pars, quā agitur de alumnis recipiendis.⁶⁸ Comperimus enim tales pueros recipi, qui minimum decem, maximum quattuordecim annos habentes voluntatem sinceram atque suā sponte captam exprimerent se monachos atque missionarios fieri velle. Praeterea necessarium est, ut bonam intellegendiam atque firmam valetudinem, integritatem morum atque indolem docilem habeant. Ad sumptūs educationis erogandos⁶⁹ parentes, quae fieri possunt, attribuant. Reductio autem pretii solum talibus alumnis praebebatur, quorum progressūs atque modus se gerendi spem praebebant fore, ut boni sodales consociationis fierent. - Hac autem in parte statutorum animadvertitur deliberationes Placidi Vogel, Norberti Weber, Coelestini Maier atque Dominici Enshoff, quas epistulariter exhibuerant, non fuisse sine effectū atque bene respectas esse.

Generaliter vero de re educatoriā in seminario exhibitā dici potest fuisse perceptionem theoreticam satis modernam. Nam unā ex parte Ottiliani etiam discipulos acquirere voluerunt, qui ex stratis socialibus eruditioni spiritali non tam propinquis exoriundi erant, cum magni momenti essent alumnorum indoles, intellegendia, impetus internus (quae facultates tamen iterum iterumque probabantur). Quā de causā in casū necessitatis (qui satis saepe accidit) etiam subsidia pecuniaria praebebantur. Alterā ex parte singulis

⁶⁸ Cfr Statuta seminarii, §§ 5-11 (ASO, A.7.1.2).

⁶⁹ Illo tempore trecentae sexaginta marcae in anno erogandae erant.

discipulis, quibus necessitas exstitit, possibilitates institutionis subsidiariae exhibebantur, quibus diversae condiciones initiales quoad eruditionem exaequarentur. Praeterea, ut ex programme studiorum apparet, educatio erat provisa, quae ad totum hominem spectabat et quā omnes partes spiritūs, intellectūs atque corporis respiciebantur.

Seminarium autem missionarium Ottiliense in fine anni 1902ⁱ bene constitutum iam erat.

3.4.1.4. De prioratūs evectione in abbatiam

Ildefonsi Schober scopus, cum secundam periodum superioratūs generalis susciperet, iam erat in eo, ut monasterium Ottiliense abbatia fieret atque Ottiliani hunc in modum propriis viribus operari pergere possent. Eo magis hunc scopum secutus est, cum valetudine affectā sciret se munus superioris generalis praeter alia officia non iam nimis diu exanclare valere et velle. Sed praeter valetudinem etiam alias causas, de quibus iam antea audivimus,⁷⁰ habuit, cur denique ex munere se recipere desideraret, nempe multitudinem aliorum operum officiorumque, adnotationes criticas, quas ex Congregatione Beuronensi propter absentiam suam ab abbatiā suā Seccoviensi audivit, obstacula, quae ipsi ut non-Bavaro atque «extraneo» imprimis ab regimine Bavarico, sed etiam ab episcopali ordinariatū Augustano iterum iterumque obieiebantur, quā de causā Ildefonsus Schober existimavit condicionem monasterii Ottiliensis quoad régime meliorem fore, cum eiusdem praepositi essent indigenae.⁷¹

Anno autem 1902^o Ildefonsus Schober putavit tempus ad rem definitive perpetrandam esse maturum. Tamen multa adhuc erant praeparanda atque deliberanda. Ut cum Ildefonso Schober consultationes de modo progrediendi haberent, duo seniores conventūs Ottiliensis, id est Norbertus Weber et Paulus Sauter, Seccoviam vecti sunt, ubi a die 4^o m. Mart. usque ad diem 10^{um} m. Mart. a. 1902^o versabantur.⁷²

Illis in consultationibus imprimis agebatur unā ex parte de primo capitulo generali praeparando, de modo ibīdem progrediendi, de thematis tractandis,

⁷⁰ Cfr supra cap. 3.3.4.

⁷¹ Cfr Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 312; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 90; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 55.

⁷² De his consultationibus Norbertus Weber protocollum quoddam conscripsit in diario suo anni 1902ⁱ, ex quo multa comperiuntur. (Cfr Norbert Weber: Tagebuch 1902 (ASO, A.1.8.1). - Cfr Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 313; Johanna BUSCHMANN (2003), pp. 90 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 55.

alterā ex parte de electione primi abbatis atque de quaestionibus hac in re observandis.⁷³

In fine colloquiorum Ildefonsus Schober die 9^o m. Mart. a. 1902^o epistulam circularem ad omnes Ottilianos et in patriā et in regione missionariā versantes misit.⁷⁴ Eādem autem ille iam prospicit ad finem anni 1902ⁱ, quo tempore munus superioris generalis definitve depositurus erat. Itaque omnes, imprimis repraesentantes quōque missionis, ad capitulum generale invitavit ea indicans, quae tractanda erant, et rogans, ut desideria propositaque antea scripto modo ad ipsum mitterentur.

Mirum autem in modum eodem die, quo haec epistula circularis ex abbazia Seccoviensis ad Ottilianos scribebatur, id est die 9^o m. Mart. a. 1902^o, episcopus Augustanus Petrus von Hötzl ex improvise vitā functus est sexaginta sex annos natus. Post mortem Petri von Hötzl, cui congregatio Ottiliensis etiam semper cordi erat, episcopalis sedes Augustana plus quam quattuor menses vacua erat.

Cum ad constitutionem abbatae monasterio necessarii essent minimum duodecim monachi professi cum votis sollemnibus,⁷⁵ in illis consultationibus cum Ildefonso Schober habitis etiam de hac quaestione agebatur. Clerici, ad quos haec res pertinebat, iam epistulā circulari die 25^o m. Ian. a. 1900^o interrogati affirmaverant se ad vota sollemnia proferenda esse paratos. Ad vota sollemnia denique admittebantur sedecim clerici, qui in Ottiliensi domo

⁷³ Ottiliani in his colloquiis cum Ildefonso Schober etiam problemata sua protulerunt, quae spectabant ad Priorem P.rem Ludgerum Leonard, quem abbatem suum fieri omnino noluerunt. Ildefonsus Schober eis respondit neminem - praeter ipsum P.rem Ludgerum - de hac re cogitare, ne episcopum Augustanum quidem. Omnes autem putare necessarium esse, ut primus abbas Ottiliensis ex congregatione ipsā exoriretur. Videtur autem Ildefonsus Schober iam de aliquo monacho Ottiliano huic muneri apto cogitavisse, ut significavit, sed nomen non dixit.

Praecogitatum vero erat electionem abbatis, quantum fieri potuit, in fine capituli generalis instituere, sed quia temporalis processus abbatae erigendae praesciri non potuit, iam aliquatenus exspectabatur hoc punctum procrastinandum esse.

Aliud problema, quod in consultationibus fusius tractabatur, erat translatio monasterii sororum ad alium locum. Hoc thema Ildefonso Schober erat magni momenti atque cordi. Putavit autem hanc translationem quam celerrime instituendam esse, cum esset quaestio conscientiae atque honoris.

Cfr diarium Norberti Weber (ASO, A.1.8.1); Cyrill SCHÄFER (2005), p. 57.

⁷⁴ Cfr Ildefonsi Schober epistula circularis die 9^o m. Mart. a. 1902^o data (ASO, A.1.8.1).

⁷⁵ Cfr decretum prioratūs (ASO, A.2.1.1). - Vide supra cap. 3.3.1.

maternā versabantur,⁷⁶ ad quem numerum accesserunt illi clerici, qui in regione misionariā operabantur atque ibīdem vota sua sollemnia proferebant.⁷⁷

Ipse actus professionis sollemnis constitutus est fieri die 21^o m. Mart. a. 1902^o, qui illius anni erat dies festus Sancti Benedicti.⁷⁸ Ille vero actus erat quidem magni momenti, non solum pro singulis monachis profitentibus, sed etiam pro ipso monasterio eiusque progressū, tamen Ildefonsus Schober totam rem satis simpliciter neque publice peragi voluit.⁷⁹ Itaque illo die

⁷⁶ Hartmut MADL (1999), p. 74 adn. 191 affert documentum Ildefonsi Schober, quō īdem nomina illorum enumerat, quos ad vota sollemnia admissos esse voluit. Qui secundum tempus votorum simplicium erant Fr Paulus Sauter, P. Dominicus Enshoff, P. Placidus Vogel, P. Coelestinus Maier, Fr Amandus Heinze, P. Clemens Künster, P. Bruno Weinrich, P. Matthaeus Schlichting, Fr Simon Trossmann, P. Martinus Malter, P. Adalbertus Kretschmer, P. Norbertus Weber, P. Cyrillus Wehrmeister, P. Hildebrandus Allmendinger, Fr Paulinus Hauser; praeterea P. Magnus Höfle, qui ex abbatia Fiechtiensi veniens, ubi vota sollemnia iam protulerat, anno 1898^o vota sua ad monasterium Ottiliense transtulerat. - Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 314 similem indicem exhibet, quō tamen nomen P.ris Magni Höfle non legitur, sed nomen F.ris Ildefonsi Rösser. Cum autem Hartmut Madl ipsum documentum Ildefonsi Schober afferat, videtur eius index verisimilior esse. Ceterum in Necrologio Ottiliensi nomen Ildefonsi Rösser non invenitur, qui monasterium aliquando reliquisse videtur. - Generaliter autem de monachis ad vota admittendis conventus monasterialis audiebatur, sed participes senioratūs esse dignos ipse Ildefonsus Schober dixit. - *Cfr* diarium Norberti Weber (6.3.1902 (ASO, A.1.8.1)); Hartmut MADL (1999), p. 74; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 314.

⁷⁷ Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 314 scribit quidem fuisse ex Africā novem patres atque fratrem quendam clericum, sed Hartmut MADL (1999), p. 74 adn. 191 et Cyrill SCHÄFER (2005), p. 56 indicant ex regione misionariā solum septem clericos fuisse. - Ceterum Ildefonsus Schober iam in epistulā Kal. Mart. a. 1902 ad Hildebrandum de Hemptinne datā (ASO, A.1.8.1) rettulit clericos Africanos vota sollemnia proferre iam coepisse et documenta hominum principalium iam allata esse.

⁷⁸ *Cfr* Norberti Weber diarium (6.3.1902 (ASO, A.1.8.1)); Hartmut MADL (1999), pp. 74 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 314; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 90; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 305; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 56.

⁷⁹ Causa erat in eo, quod Ildefonsus Schober, ut ipse dixit, perturbationes, intranquillitates et falsas opiniones vitare voluit, et externas et internas. Putavit enim melius esse etiam fratres laicos nihil de hōc actū comperire. Verisimiliter īdem talem modum simplicem desideravit, quia tantummodo clericis vota sollemnia proferre licuit, fratribus vero laicis solum vota simplicia. Illi eā de causā non erant pleni participes conventūs neque suffragia ferre eis licuit. - *Cfr* Norberti Weber diarium (6.3.1902 (ASO, A.1.8.1)); Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 315; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 49; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 91; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 305; Hartmut MADL

constituto clerici postmeridiano tempore in oecum capituli convēnērunt et unusquisque documentum professionis praelegit, subscripsit atque Priori P.ri Ludgero Leonard, mandatario Ildefonsi Schober, tradidit, quae singula documenta P. Ludgerus Leonard atque P. Norbertus Weber, scriba capituli, rite prolata comprobaverunt atque subscripserunt.⁸⁰

Cum inde ex illo die monasterium Ottiliense viginti tres monachos professos votorum sollemnium haberet, postulatum, quod decreto prioratūs exhibebatur, expletum erat. Itaque Ildefonsus Schober tunc revera scopum suum aggredi potuit, quo monasterium Ottiliense abbatia fieret. Idem vero hac quōque in quaestione Abbatem Primatem Hildebrandum de Hemptinne saepe epistulariter consuluit eique de deliberationibus actionibusque suis rettulit. Nam etiamsi propter verba decreti ad prioratum spectantis Ildefonsus Schober ex institutionibus Romanis nullas difficultates quoad abbatiam erigendam exoriri putavit, tamen problemata quaedam ab episcopo, sed imprimis ab regimine expectavit.⁸¹ Et condicionem non falso diiudicavit, ut videbi

(1999), pp. 74 sq.

⁸⁰ Paulus WEISSENBERGER (1963), pp. 305 sq. textūs huius documenti originaliter Latini exhibet. Textus autem documenti professionis illo tempore prolatae est hic: «*In nomine domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno a navitate eiusdem 1902 die 21. mensis Martii. Ego frater N.N., monachus professus votorum simplicium monasterii huius sol[l]emniter promitto stabilitatem, conversionem morum meorum et oboedientiam secundum regulam sancti patris Benedicti et Constitutiones a Sancta Sede approbandas in Congregatione Ottiliensi pro Missionibus exteris coram deo et sanctis eius, quorum reliquiae habentur in monasterio ss. Cordis Iesu ad S. Ottiliam in praesentia R.P. Domni Ludgeri Leonard, Prioris dicti monasterii et monachorum eiusdem. Ad cuius rei fidem hanc petitionem manū propriā scripsi die et anno quibus supra.*»

In documento additicio legebantur haec: «*Fidem facimus omnibus, ad quos pertinebit, quod die 21 Martii anni Domini 1902 hora tertia po[st]meridiana Nos, a Rmo Domno Ildephonso Schober, Abbate Seccoviensi et Superiore generali Congregationis Ottiliensis pro Missionibus exteris, delegati, astantes in Capitulo cum Conventū Vocalium, recepimus suprascriptam professionem R.i P.ri N.N., professi votorum simplicium. Quam quidem professionem dictus R.P. N.N. alta et distincta voce emisit ac manu propria signo crucis signavit proprioque nomine et cognomine subscripsit coram omnibus. Ad cuius rei fidem praesentem actum fecimus nostro munitum signo. Datum in prioratu ss. Cordis Iesu ad st. Ottiliam die, mense et anno quibus supra.*» Hartmut MADL (1999), p. 75 versionem Theodiscam horum textuum praebet.

⁸¹ Sic iam in epistulā Ildefonsi Schober Kal. Mart. a. 1902ⁱ ad Hildebrandum de Hemptinne directā (ASO, A.1.8.1). - Illo tempore adhuc agebatur de episcopo Petro von Hötzl, qui condicioni nondum confisus est, quā monasterium Ottiliense iam propriis viribus agere posset, et eā de causā Ildefonsum Schober munus superioris

mus.

Die 6^o m. Iun. a. 1902^o Ildefonsus Schober ad cardinalem Ledochowski petitionem, quā, ut monasterium Ottiliense in abbatiam erigeretur, rogavit.⁸² Petitione autem, ut talibus in rebus solitum erat, de condicionibus Ottiliensibus rettulit atque de causis, cur illud monasterium dignum esset statūs abbatiæ. Scripsit vero haec:⁸³

«Ildephonsus Schober, Abbas Seccoviensis et Superior Generalis Congregationis Ottiliensis pro Missionibus exteris O.S.B. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime petit, ut Monasterium SS. Cordis Iesu de Sancta Ottilia dioecesis Augustanae in Bavaria in Abbatiam canonice erigere dignetur. Pro qua gratia omnia qua par est observantia sequentia exponit.

Anno 1887 favente R.mo D. Pancratio de Dinkel tum Episcopo Augustano Institutum Ottiliense supra Regulam S. Benedicti fundatum est eique assignata a Propaganda Fide praefectura Zanguebariae Meridionalis in Africa et per decretum diei 13 Dec. 1896 domus mater de S. Ottilia in prioratum O.S.B. erecta est.

In decreto supra memorato no 6 sic sonat: «Demum cum in monasterio i.e. Prioratu praedicto duodecim exstituri sint professi votorum sollemnium in sacris constituti, domus ipsa in Abbatiam erigetur.»

Monasterium nunc habet 25 monachos professos votorum sollemnium in sacris constitutos et ideo petitur, ut ipse prioratus St. Ottilien in Abbatiam provehatur. Haec erectio adiumento foret toti Congregationi et monasterio ipsi et Missioni. Praeter Patres supra memoratos Monasterium Ottiliense 9 clericos professos, 7 novitios, 60 fratres conversos professos, 20 novitios conversos habet et seminarium, ubi 65 alumni in litteris humanioribus erudiuntur.

Nova iam fundatio in Bavaria exstat, ubi duo Patres et quinque fratres con-

generalis deponere nondum voluit. Cum autem Ildefonsus Schober cum illo episcopo bene agere valeret, putavit apud eundem se difficultates fortasse exoriundas componere posse.

⁸² Cfr Leander BOPP (1952), p. 7; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 317; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 91; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 57. - Quamvis post mortem Petri von Hötzl novus episcopus Augustanus illo tempore nondum institutus esset, Ildefonsus Schober petitionem mittere voluit, ne morae hac in re, quae erat maximi momenti, fierent. Cfr epistula Ildefonsi Schober die 26^o m. Maii a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne directa (ASO, A.1.8.1).

⁸³ Petitio diei 6ⁱ m. Iun. a. 1902ⁱ (ASO, A.2.2.1; copia ex archivio Sancti Anselmi deprompta). - Textus originaliter Latinus.

versi cum 30 discipulis pro Congregatione instituendis degunt. Insuper ministerium praestant monachicum, praeclara monasterii Ottiliensis multum a fidelibus adeatur. Permagnum autem curam magnumque laborem Missionibus exteris Congregatio adhibere studuit, quae Deo adiuvente cum maximis ipsius iacturis Praefecturam Apostolicam sibi a S. Congregatione creditam occupavit. Prima missio a Mohamedanis distructa est: tres martyres sanguinem suum fuderunt et 3 Patres cum 20 Fratribus obierunt. Novem stationes erectae sunt, ubi 13 Patres cum 2 clericis et 14 fratribus conversis laborant.

Quoad aedificia St. Ottilien attinet, ipsa et ecclesia dignitati abbatiali valde responderent. Media in possessione 800 iugerum agrorum et pratorum situm est et in horto claustrali longo muro cinctum hoc monasterium ex fructibus terrae magnam partem sustentationis vim haurit. Accedunt stipendia Missarum et donationes fidelium. Populi studium duobus ephemeridibus a Patribus editis fovetur. Molendinum praeterea et machina ad ligna dissecanda monasterio haud exiguos redditus praebent.

Nec obstat, deprecamur, vacantia Sedis episcopalis Augustanae, nam cum ad diem 20 Augusti conventuri sunt nonnulli Patres Africae in St. Ottilien nec longum per tempus ibi moraturi sunt, aptissima esset occasio ad electionem Abbatis. Rev. mus Episcopus Petrus de Hoetzl defunctus favore monasterium Ottiliense prosequabatur, sed nec deerunt vota Archiepiscopi Monacensis necnon Vicarii capitularis Augustani, ut nos adiuvent ad gratiam obtinendam.»

Consulto autem Ildefonsus Schober de hac petitione régime Bavaricum nondum certius fecit, quia propter grapheocratiam exaggeratam in Bavariā vigentem (ut ipse condicionem appellavit) timuit, ne tale indicium progressui esset magis nocivum quam opportunum.⁸⁴ Aptum atque utilem modum procedendi putavit esse hunc: monasterium Ottiliense ab Vaticano ad decretum anni 1896ⁱ referente in abbatiam erigitur. Deinde Monacensis Nuntius Apostolicus régime Bavaricum de hac erectione certius facit insimul commendans, ne approbationi statali obstacula obiciantur. Nam Ildefonsus Schober putavit administro rei culturalis verba ab ipsā curiā Roamanā communicatā magni ponderis esse. Porro - ut proposuit - bonum fore, si Nuntius Apostolicus decretum Vaticanum novo episcopo Augustano communicaret eidem commendans, ut voto ipsius Celsitudini regali suaderet, ut agnitio novae abbatiae celeriter fieret. Ipse Ildefonsus Schober sive eodem tempore sive

⁸⁴ Cfr epistula Ildefonsi Schober die 14^o m. Iun. a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne data (ASO, A.1.8.1).

postea cum administro rei culturalis et cum episcopo Augustano loqui in animo habuit.⁸⁵ Haec erant deliberationes atque proposita Ildefonsi Schober non male excogitata. Videntur vero responsales Vaticani illa proposita etiam secuti esse, sed res aliter evēnērunt.

Primo cardinalis Ledochowski renunciavit se de progressū monasterii Ottiliensis valdere gaudere et se petitionem gaudenter accepisse, quā de causā se quaestionem abbatiae celeriter curaturum esse.⁸⁶ Revera iam die 28^o m. Iun. a. 1902^o Congregatio de Propaganda Fide decretum perscripsit, quā eadem monasterium Ottiliense in abbatiam evehebatur.⁸⁷ Leguntur autem ibidem haec:⁸⁸

«Per aliud iam Decretum, datum die 13 Decembris anni 1896, Sacra haec de Propaganda Fide Congregatio religiosam virorum domum pro missionibus ad externos apud S. Ottiliam in dioecesi Augustana Vindelicorum in Bavaria fundatam in Prioratum Ordinis S. Benedicti sub titulo B.M.V. Auxilii Chris-

⁸⁵ Cfr epistula Ildefonsi Schober die 14^o m. Iun. a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne data (ASO, A.1.8.1).

⁸⁶ Cfr epistula cardinalis Ledochowski die 12^o Iun. a. 1902^o ad Ildefonsum Schober data, cuius copia epistulae diei 14ⁱ m. Iun. a. 1902^o adiuncta est (ASO, A.1.8.1). - Iam illā in epistulā cardinalis Ledochowski Ildefonso Schober gratias plurimas egit pro omnibus laboribus in re Ottilianā susceptis cum alia scribens tum haec: *«Sed interim P.T. pro tot tantisque laboribus etiam cum dispendio tuae valetudinis susceptis, maiore quo valeo flagrantis animi affectu, debita referendi grates officium, quo iustius eo libentius persolvere satago.»* (Textus originaliter Latinus).

⁸⁷ Cfr Leander BOPP (1952), p. 7; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 317; Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 352; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 91; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 57; Hartmut MADL (1999), p. 78; Frumentius RENNER: Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.): Germania Benedictina. I. Reformverbände und Kongregationen im deutschen Sprachraum. St. Ottilien 1999, p. 805; Godfrey SIEBER (1992), p. 130, diem 29^{um} m. Iun. a. 1902^o indicat. - Per errorem videtur Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 63 nr 379 et IDEM (1963), p. 306 diem 28^{um} mensis Iulii a. 1902^o indicare.

⁸⁸ Decretum de erectione abbatiae diei 28ⁱ m. Iun. a. 1902ⁱ (ASO, A.2.1.1 / A.3.3.3). - Textus originaliter Latinus.

Documentum originale anno 1941^o, cum archiabbatia dissolveretur, amittebatur. Sed die 15^o m. Dec. a. 1952^o Congregatio de Propaganda Fide exemplar duplicatum archiabbatiae tradidit (ASO, A.2.1.1). - Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 318 adn. 353; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 102 adn. 31.

Tamen in archivo Ottiliensi exstat huius decreti copia manū scripta, quam correcte descriptam ipse Ildefonsus Schober subscriptione confirmavit (ASO, A.3.3.3).

tianorum⁸⁹ erexit.

Nuper vero Rev.mus D. Ildefonsus Schober, Abbas monasterii Seccoviensis Ordinis s. Benedicti in Austria, ac munus Superioris Generalis eiusdem Instituti a s. Ottilia auctoritate s. Congregationis gerens, supplicem porrexerat libellum, ut s. Congregatio benigne dignaretur provehere ac erigere praedictum Prioratum in titulum Abbatiae Ordinis s. Benedicti.

Porro nedum numerus competens monachorum votorum sollemnium in Prioratu exsistentium gratiam hanc suadere dignoscitur, sed et in dies succrescens religiosa Instituti suboles, et regularis florens disciplina, et fructus eximii animarum in missione a s. Sede monachis in Africa commissa, copiose iam collecti, valde s. Congregationem movent, ut praedictis votis R.mi Abbatis ex corde faciat satis. Quamobrem re integra mature et subtiliter perpensa, s. Congregatio praedictum Prioratum Ottiliensem sub titulo B.M.V. Auxilii Christianorum, in Abbatiam Ordinis s. Benedicti cum omnibus iuribus et privilegiis ipsi spectantibus, vi praesentis Decreti, erigit ac erectam declarat: contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.»

Hōc documentō allatō gaudium Ildefonsi Schober et Ottilianorum erat vere magnum. Haec evectio abbatialis erat quadamtenus culmen laborum, quos Ildefonsus Schober in monasterium congregationemque Ottilianam impederat. Tamen non solum Ottiliani, sed etiam Congregatio de Propagandā Fide scivit, quid ei hac in re deberet.⁹⁰ Eā de causā iam die 5^o m. Iul. a. 1902^o cardinalis Ledochowski documento officiali Ildefonsum Schober ad ipsum honorificandum visitatorem ordinarium monasterii Ottiliensis reddidit, et hoc quidem iam illo tempore, quo Ildefonsus Schober munus superioris generalis nondum deposuerat.⁹¹ Verba autem huius documenti sunt haec:⁹² «Nuperrime per Decretum diei 28 superioris mensis Iunii S. haec de Propaganda Fide Congregatio domum principem Instituti Ottiliensis in Bavaria in Abbatiam Ordi-

⁸⁹ Hōc locō ab Congregatione de Propaganda Fide abbatia B.M.V. Auxilio Christianorum dicata esse adhuc indicabatur, quamvis praeter alios locos iam in petitione Ildefonsi Schober legitur esse monasterium Sacratissimo Cordi Iesu dicatum.

⁹⁰ Postquam monasterium Ottiliense in abbatiam erectum est, generaliter responsalitas erat penes Congregationem Religiosorum. Tantummodo cum ageretur de quaestionibus missionariis, Congregatio de Propaganda Fide adeunda erat.

⁹¹ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 318; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 92; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 57; Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. St. Ottilien 1985, p. 195.

⁹² Decretum diei 5ⁱ m. Iul. a. 1902ⁱ (ASO, A.3.3.3). - Textus originaliter Latinus.

nis S. Benedicti erexit. Cum vero maxime benemerens de florida praefati Instituti conditione exsistat R.mus Abbas Seccoviensis Ildefonsus Schober, qui usque modo religiosos viros Ottilienses sicut Generalis Superior prudentissime gubernavit, voluit S. Congregatio, precibus etiam obsecundans Rev.mi Abbatis Primatis universi Ordinis S. Benedicti, morem sequens huius Ordinis, praelaudatum Abbatem Seccoviensem renuntiare Visitatorem regularem novae Ottiliensis Abbatiae omniumque domorum ab eadem dependentium, ad beneplacitum S. Sedis. Quamobrem praesens de hoc conficit Decretum, contrariis quibuscumque minime obstantibus.»

Paucis septimanis postquam haec documenta exhibita sunt, id est die 22^o m. Iul. a. 1902^o cardinalis Ledochowski vitā functus est. Eidem vero eiusque curae intentionique congregatio Ottiliensis plurima quōque debuit. Nisi ipse, cui res missionariae cordi erant, monasterium Ottiliense protexisset atque benigne promovisset, tot et tanta tam brevi tempore non essent facta. Sic Ottiliani anno 1902^o multa effecerunt acceperuntque, sed etiam duos homines protectores amiserunt.

3.4.2. De primo capitulo generali

3.4.2.1. De ipso capitulo generali

Epistolā circulari die 9^o m. Mart. a. 1902^o datā Ildefonsus Schober Ottilianos patres ad capitulum generale in matrocoenobio instituendum satis mature invitaverat.⁹³ Ipsum capitulum generale inter dies 20^{um} m. Aug. a. 1902^o atque diem 9^{um} m. Sept. a. 1902^o in monasterio Ottiliensi locum habuit.⁹⁴ Participaverunt autem undecim patres, ex quibus suffragium ferre licuit Ildefonso Schober superiori generali, Ludgero Leonard Priori, Paulo Sauter seniori, Mauro Hartmann Praefecto Apostolico atque Cassiano Spiss repraesentanti missionariorum (qui etiam erat superior stationis Peramiho). Votum autem solum consultatorium habuerunt Placidus Vogel superior domūs Sancti

⁹³ Invitatio officialis tam mature mittenda erat, quia Apostolicus Praefectus atque alius pater missionarius ex Africā advehentes exspectabantur.

⁹⁴ *Cfr* pagina prima (frontispicium) «Decretorum primi Capituli generalis» (ASO, K.1.1). - *Cfr* Chron. Ott. m. Aug./Sept. a. 1902; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 319; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 92; Hartmut MADL (1999), p. 77; Godfrey SIEBER (1992), p. 152. - Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306 indicat Ildefonsum Schober inter dies 18^{um} m. Aug. a. 1902^o et diem 15^{um} m. Sept. a. 1902^o in monasterio Ottiliensi versatum esse, et hoc quidem verisimiliter propter consultationes, quae ad electionem abbatis spectabant. Etiamsi Ildefonsus Schober fortasse etiam huiusmodi colloquia ibidem suscepit, tamen Paulus Weissenberger non respicit illo tempore capitulum generale institutum esse, cui Ildefonsus Schober praeerat.

Ludovici, Norbertus Weber subprior atque reliqui monachi seniores Dominicus Enshoff, Coelestinus Maier cellerarius, Martinus Malter, Augustinus Mayer.⁹⁵

In invitatoriā epistolā circulari Ildefonsus Schober iam ordinem rerum agendarum exhibuerat, de quibus praesentes tractaturi erant et qui erat hic:⁹⁶ 1. De profectu perfectionis, 2. De Constitutionibus in genere, 3. In specie: De divino Officio et caeremoniis, 4. De monastica disciplina, 5. De Missionibus, 6. De cura animarum, 7. De studiis et publicationibus, 8. De seminario, 9. De artibus elegantioribus, 10. De re familiari, 11. De regimine Congregationis et Missionis, 12. De monachis missionariis, 13. De monasteriis et foundationibus, 14. De monasteriis et foundationibus sororum, 15. De oblatibus internis et externis, 16. De variis negotiis.

Officium delegatorum ergo imprimis erat in eo, ut de textū Constitutionum, quae anno 1897° exaratae erant, consulerent.⁹⁷ Illis diebus primi capituli generalis delegati quidem diligenter atque fuse singula puncta tractaverunt et varios impulsūs dederunt, tamen sobrie statuerunt se de singulis quaestionibus Constitutionum nihil definitive decernere velle, cum haec esset res abbatis mox eligendi atque Vicarii Apostolici, qui post breve spatium temporis institueretur.⁹⁸

Nihilominus praeter alia etiam proposita quaedam proferebantur, quae erant maioris momenti, etiamsi non statim ad effectum adduci potuerunt. Sic ex. gr. quaestio educationis, quae in regione missionariā fiebat, respiciebatur. Cum enim patres missionarii pluribus aliis officiis ab opere institutionis scholaris saepe abstinerentur, delegati utile esse putaverunt aptos fratres conversos ita

⁹⁵ Cfr Leander Bopp (1952), pp. 6 sq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 152; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 319; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 92.

⁹⁶ Cfr Ildefonsi Schober epistula circularis die 9° m. Mart. a. 1902° data (ASO, A.1.8.1).

⁹⁷ Cfr Suso BRECHTER: Beurons Beitrag zur Gründung von St. Ottilien. In: Virgil FIALA (ed.): Beuron. Festschrift zum hundertjährigen Bestehen der Erzabtei St. Martin, Beuron. Beuron 1963, p. 266; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 92; Hartmut MADL (1999), p. 77; Godfrey SIEBER (1992), p. 153; Leander BOPP (1952), p. 67.

⁹⁸ Cfr Decreta primi Capituli generalis (1902), p. 18 (ASO, K.1.1): «Cum Congregatio Ottiliensis brevi abhinc tempore electionem primi Abbatis et nominationem primi Vicarii apostolici expectet, Capitulum generale ipsum desistit de singulis Constitutionum rebus agere et consiliari; immo determinata, quae S. tae Sedi proponatur, Constitutionum forma primum summumque illorum Superiorum opus sit.» - Textus originaliter Latinus.

Cfr etiam Johanna BUSCHMANN (2003), p. 92; Godfrey SIEBER (1992), p. 187.

instrui, ut deinde munere ludi magistrorum fungi possent. Nam praesertim rem scholarem atque catechesim in regione missionariā negligi non licere.⁹⁹ Similiter delegatis alia condicio cordi erat. Nam, ut bene sciverunt, non solum in monasterio patrio, sed imprimis in regione missionariā plurimi opifices necessarii erant. Tamen non tot fratres conversi in opificio quodam iam eruditi in monasterium ingressi sunt, quot indigentiae respondebant. Itaque bona cogitatio exorta est, quā in monasterio Ottiliensi specialis schola quaedam opificum futurorum institueretur, ubi pueri missione attracti opificium quoddam addiscerent. Talem scholam delegati quam primum fieri desiderabant.¹⁰⁰

Ea, quae in disputationibus primi capituli generalis exarata sunt, sub singulis punctis ordinis rerum agendarum plus minusve fuse comprehendebantur,¹⁰¹ solum de punctis octavo, nono, undecimo, duodecimo, quinto decimo atque sexto decimo nihhil scriptum exhibebatur. Denique totus textus die 9^o m. Sept. a. 1902^o subscriptus est ab Ildefonso Schober, Ludgero Leonard atque Mauro Hartmann.

3.4.2.2. De «Appendice Missionis» anni 1902ⁱ


Sed etiam alia res illo in capitulo generali erat maximi momenti. Nam Ildefonsus Schober Maurum Hartmann, Praefectum Apostolicum, cui hac in re maxima experientia erat, rogaverat, ut ad Constitutiones anni 1897ⁱ, de quibus in capitulo generali consuleretur, «*Appendicem Missionis*», quae dicitur, exararet.¹⁰²

⁹⁹ Cfr Decreta primi Capituli generalis (1902), pp. 29 sq. (ASO, K.1.1).

¹⁰⁰ Cfr Decreta primi Capituli generalis (1902), pp. 33 sqq. (ASO, K.1.1). - Etiam typographeum atque tabernam monasterialem instituenda esse deliberaverunt. Cfr Decreta, p. 49.

¹⁰¹ Capitulo generali peracto Ildefonsus Schober in epistolā die 15^o m. Sept. a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne directā (ASO, A.1.8.1) scripsit de decretis, quae ei missurus erat, eadem partim ex collectione decretorum Beuronensium deprompta esse, quasdam vero explicationes aliquatenus longas evenisse, ut novis perceptionibus falsis praeveniretur.

¹⁰² Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 319; Godfrey SIEBER (1992), p. 153; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 60. - P. Maurus Hartmann iam in «Propositionibus Lacensibus» exarandis cooperabatur. Cfr supra cap. 3.2.2.1.



Frontispicium «Appendicis Missionis»

Tali «Appendice» officia in missione exanclanda, condiciones missionariae et imprimis relatio inter vitam monasticam atque munera missionaria dirigerentur.¹⁰³

Quamvis iam Constitutionibus anni 1897ⁱ Appendix quaedam missionaria subiuncta esset,¹⁰⁴ haec nova exaratio tamen necessaria esse videbatur. Primo multo brevior est haec Appendix anni 1902ⁱ, deinde clarior, magis perspicua atque distinctior esse videtur. Magni autem erat momenti ibidem statum iuraque Praefecti sive Vicarii Apostolici clare definiri.¹⁰⁵

Leguntur vero in textū *Appendicis* de hac re haec:¹⁰⁶ «*Vicarius vel Praefectus apostolicus ut est Ordinarius totam moderatur curam animarum; rationem designat ex-*

cendi opus missionarium; eius est corrigendo seu emendando se interponere singulorum operi missionario; missionariis habendi curam animarum tribuit facultates; decernit, quibusnam locis stationes noviter sint erigendae; determinat regionum fines, intra quos cuiusque stationis missionarii curam animarum exerceant; nominat superiores stationum vel alibi eos collocat, et,

¹⁰³ Cyrill SCHÄFER (2005), p. 60 putat talem «Appendicem» non fuisse nimis elegantem, tamen propter speciales condiciones Ottilienses fuisse necessariam, cum schema Beuronense non iam suffecisset.

¹⁰⁴ Cfr supra cap. 3.3.3.1.

¹⁰⁵ Leander BOPP (1956), p. 64 existimat in hac «*Appendice Missionis*» capitulum generale tandem ad rectam perceptionem statūs Praefecti sive Vicarii Apostolici pervenisse, cum antea, quamvis P. Maurus Hartmann iterum iterumque aliter monuisset, Ottiliani in patriā versantes semper putavissent sibi in quaestiones missionarias se immiscere atque decernere licere, quid ibi fieret.

¹⁰⁶ Appendix Missionis ad Constitutiones Congregationis Ottiliensis O.S.B. pro Missionibus exteris auctoritate Primi Capituli generalis edita MCMII, pp. 7 sqq. (ASO, K.3.1). - Textus originaliter Latinus.

si causas graves aut maior missionis fructus id postulat, eos a munere potest remove; missionarios suo arbitrio distribuit in diversas stationes, habet potestatem transferendi eos ab una statione ad alteram quolibet tempore, et, si ratio postulat, remittendi in matrocoenobium; praescribit situm et formam stationum exstruendarum, erectionem scholarum orphanotrophiorum, nosocomiorum etc. Partes missionis agit apud superiores magistratus sive ecclesiasticos sive civiles sive militares.»

Tamen haec omnia Praefecto sive Vicario Apostolico, qui, quamquam est ordinarius ecclesiasticus regionis missionariae, semper manet sodalis Congregationis, conceduntur salvis iuribus superioris generalis.¹⁰⁷ Praeterea in *Appendice* legitur ab congregatione Ottiliensi in regione missionariā monasteria condi, «aut, quod si fieri non possit, cellas O.S.B.».¹⁰⁸ Quae cellae singulae «ex duobus saltem Patribus et uno saltem Fratre converso constare» oportent.¹⁰⁹ Porro de vitā monasticā constituitur, ut in stationibus quōque «clausurae observandae prospiciendum» sit «etiam in missionibus quoad pro earum condicione fieri potest; nec ulli umquam missionario» liceat «sine permissione ac benedictione superioris extra possessionem stationis discedere.»¹¹⁰ Generaliter autem expectantur haec:¹¹¹ «ii quoque, qui in cellis degunt, missionarii id studeant, ut vitae monasticae principia in S. regula et in Constitutionibus determinata peragant.»

Quamvis postulata sint satis stricta atque clara, tamen conspicuum est pluribus in locis locutiones legi velut «si fieri potest», «quoad fieri potest», «id studeant» et sim. Talibus in verbis apparet conamen, quo vita stricte monastica cum condicionibus missionariis coniungeretur, quibus interdum alia postulabantur.¹¹²

Sed in primo capitulo generali etiam de hac «*Appendice Missionis*» consule-

¹⁰⁷ De his iuribus *cfr* Appendix Missionis (1902), pp. 2 sqq. (ASO, K.3.1).

¹⁰⁸ *Cfr* Appendix Missionis (1902), p. 1 (ASO, K.3.1).

¹⁰⁹ *Cfr* Appendix Missionis (1902), p. 15 (ASO, K.3.1).

¹¹⁰ *Cfr* Appendix Missionis (1902), pp. 31 sq. (ASO, K.3.1).

¹¹¹ *Cfr* Appendix Missionis (1902), p. 32 (ASO, K.3.1). - Quae «*ad minimum*» observanda sunt, deinde breviter explicantur, velut diurnum ordinem servare, silentium nocturnum custodire, preces per diem dispositas persolvere et sic porro. Etiam praescribitur, ut habitus monachalis sit semper gerendus atque tonsura sit gestanda (pp. 33 sq.).

¹¹² Ut Siegfried HERTLEIN (1983), p. 95 scribit, monachis missionariis magni momenti erant vita religiosa, preces, comestiones communes, silentium nocturnum et sim., tamen propter numerum missionariorum satis parvum possibilitatem non viderant, quā monasteria exstruerent atque sustentarent.

batur, quae ab delegatis comprobabatur.¹¹³ Itaque capitulum generale, quod omnibus erat consultatio laboriosa, bono atque frugifero effectū finiri potuit.

3.4.3. De Apostolico Vicariatu

Eodem tempore, quo petitionem abbatae erigendae miserat, Ildefonsus Schober etiam similem petitionem, quā rogavit, ut in regione Missionariā Vicariatus Apostolicus institueretur, ad Congregationem de Propaganda Fide direxit.¹¹⁴ Die 16^o m. Iul. a. 1902^o inde rogatus est, ut indicem trium nominum Romam mitteret, quo illos patres proponeret, qui ut futurus episcopus Vicariatūs essent apti. Hunc indicem die 28^o m. Iul. a. 1902^o misit.¹¹⁵ Constat autem illo in indice nomina P.ris Mauri Hartmann et P.ris Cassiani Spiss exhibita esse.¹¹⁶

Itaque omnia iam praeparata erant, sed res aliquamdiu retardabatur, cum interea Praefectus Congregationis de Propaganda Fide, qui in re Ottiliensi versatissimus erat, cardinalis Ledochowski vitā functus esset. In initio mensis Septembris capitulo generali finito nondum quicquam de futuro Vicariatū ex Vaticano audiebatur. Eā de causā Ildefonsus Schober, qui ab monasterio Ottiliensi iamiam profecturus erat, die 12^o m. Sept. a. 1902^o ad novum Praefectum Congregationis de Propaganda Fide cardinalem Hieronymum [*Giro-lamo*] Mariam Gotti¹¹⁷ epistulam direxit, quā de hōc puncto nondum effecto

¹¹³ Cfr Leander BOPP (1952), p. 7; Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 319; Suso BRECHTER (1963), p. 266; Godfrey SIEBER (1992), p. 153; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 92. - «*Appendicis Missionis*» textum Theodiscum in Latinum verterunt P. Cassianus Spiss, qui repraesentans missionariorum capitulum generale participaverat, et P. Norbertus Weber. - Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 319 adn. 358; Lambert DOERR: Bishop Cassian Spiss (1866-1905). Missionary Pioneer and Martyr. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER: Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 272.

¹¹⁴ Hōc factum est die 9^o m. Iun. a. 1902^o simul cum petitione abbatae erigendae. - Cfr Leander BOPP (1956), p. 21; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 805; Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 317.

Cum Ildefonsus Schober propter condicionem valetudinis ad quaestionem Vicariatūs tractandam ipse Romam vehi non valeret, hanc rem perpetranda Abbati Primati tradidit. - Cfr Ildefonsi Schober epistula circularis die 9^o m. Mart. a. 1902^o data (ASO, A.1.8.1). - Cfr etiam Johanna BUSCHMANN (2003), p. 91.

¹¹⁵ Cfr Leander BOPP (1956), p. 121.

¹¹⁶ Fama est tertium nomen fuisse P.ris Thomae Spreiter.

¹¹⁷ Girolamo Maria Gotti, natus die 29^o m. Mart. a. 1834^o Genuae et vitā functus die 16^o m. Mart. a. 1916^o, erat Praefectus Congregationis de Propaganda Fide ab anno 1902^o usque ad annum 1916^{um}.

interrogavit.¹¹⁸

Sed interea Romae res iam erat peracta. Nam antequam recentissima epistula Ildefonsi Schober illuc pervēnit, cardinalis Hieronymus Gotti die 15^o m. Sept. a. 1902^o decretum, quo Praefectura Apostolica Zanguebariae Meridionalis in Vicariatum Apostolicum evecta est, subscripserat.¹¹⁹ Eodem tempore Congregatio de Propaganda Fide primum Vicarium Apostolicum illius regionis instituit, qui etiam episcopus futurus erat.

Tamen - quod plerique omnino non exspectaverant - primus Vicarius Apostolicus decreto Vaticano factus est P. Cassianus Spiss.¹²⁰ Omnes enim putaverant P.rem Maurum Hartmann, qui usque tunc munere Praefecti Apostolici fungebatur et cuius laboribus in regione missionariā multā effecta sunt, hōc honore affectum iri. Dicitur res etiam Ildefonso Schober inopinata fuisse.¹²¹

¹¹⁸ De hac epistulā Ildefonsus Schober mentionem facit in litteris die 15^o m. Sept. a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne datis (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* etiam Leander BOPP (1956), p. 121.

¹¹⁹ *Cfr* Chron. Ottil. m. Aug./Sept. a. 1902; Missionsblätter 6, 1902, p. 97; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 319; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 94; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 61; Lambert DOERR (2003), p. 274; Hartmut MADL (1999), p. 77. - Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306 et Leander BOPP (1956), p. 122 diem huius decreti indicant 9^{um} m. Sept. a. 1902^o.

¹²⁰ Cassianus Spiss, cuius nomen baptismale erat Franciscus Antonius [*Franz Anton*], natus erat die 12^o m. Iun. a. 1866^o in Tirolia, ubi examine maturitatis superato Brixiae [*Brixen*] in studia philosophica atque theologica incubuit. Ibīdem sacerdos consecratus est anno 1889^o. Anno 1891^o Ottiliensi consociationi missionariae se adiunxit atque iam anno 1893^o in Africam orientalem missus est, ubi P.re Mauro Hartmann instigante stationem Peramiho condidit, cui etiam praeerat. Mensibus Augusto Septembrique anni 1902ⁱ capitulum generale ut secundus repraesentans missionis participavit. - *Cfr* ex. gr. Missionsblätter 6, 1902, p. 98; Leander BOPP (1956), pp. 124 sqq.; Lambert DOERR (2003), pp. 250 sqq.

¹²¹ *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 61; Leander BOPP: P. Maurus Hartmann O.S.B. In: Götz von PÖLNITZ (ed.): Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. 5. München 1956, p. 411; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 94; Lambert DOERR (2003), p. 274.

Quid autem factum erat?¹²² Uti iam commemoratum est, Ildefonsus Schober



P. Cassianus Spiss, Vicarius Apostolicus.

tria nomina Congregationi de Propaganda Fide communicavit. Sed ex effectū rerum, quaestio exorta est, quis ibīdem primo loco enumeratus esset. Mense Maio a. 1902ⁱ Ildefonsus Schober erga P.rem Maurum Hartmann sententiam protulerat Vicariatū Apostolico instituto quaestionem episcopatūs ipsi positum iri.¹²³ Illo tempore ergo videtur P. Maurus Hartmann adhuc candidatus Ildefonsi Schober fuisse. Fortasse eum primo loco in indice suo posuit, sed - ut ex epistulā Kalendis Augustis a. 1902ⁱ ad Congregationem de Propaganda Fide datā apparet¹²⁴ - superior generalis mentem mutavisse videtur, cum ibīdem legatur se P.rem Cassianum Spiss aptum esse ad munus Vicarii Apostolici existimare. Tamen inter capitulum generale, quo utrumque virum melius cognovit, denuo aliter deliberavisse videtur.

Nam illā epistulā die 12^o m. Sept. a. 1902^o ad Congregationem de Propaganda Fide directa, quae non iam in tempore advenerat, praeter alia etiam facultates qualitatesque P.ris Mauri Hartmann pronuntiavit laudavitque.¹²⁵

¹²² Conexum, quantum fieri potest, paululum explicare conamur, quamvis periti quōque putent causas usque in hodiernum diem non omnino perspicuas esse. - *Cfr* ex. gr. Cyrill SCHÄFER (2005), p. 61; Leander BOPP: Maurus Hartmann (1956), p. 411.

¹²³ *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 121.

¹²⁴ Lambert DOERR (2003), p. 274 affert verba ex illā epistulā deprompta et in linguam Anglicam versa.

¹²⁵ Argumenta illius epistulae refert Leander BOPP (1956), p. 121.

Quod in Vicario Apostolico definitive eligendo Congregatio de Propaganda Fide deliberaverit, solum suspicari possumus.¹²⁶ Cum autem nuntius de novo Vicario Apostolico episcopoque ad monasterium Ottiliense perveniret divulgareturque, P. Maurus Hartmann post capitulum generale ibidem adhuc



Photographema post consecrationem episcopi receptum.

A sinistris: Abbas Rupertus Metzenleitner Schiriensis), episcopus Antonius Henle Passaviensis, episcopus Cassianus Spiss, episcopus Maximilianus v. Lingg Augustanus, episcopus auxiliaris Sigismundus v. Ow Ratisbonensis, Abbas Ildefonsus Schober Seccoviensis, Abbas Albertus Wildauer Fiechtiensis.*

[Missionsblätter 6, 1902, p. 101]

versabatur. Videtur vero idem hunc nuntium sensū ambiguo percepisse, unā ex parte valde gaudens se reverā episcopum fieri non esse coactum, alterā ex parte contumeliam quandam ex eventū rerum sibi exortam esse existimans,

¹²⁶ Cum maximā ex parte fuisset meritum P. ris Mauri Hartmann Praefecti Apostolici, quod propter eius labores indesinenter atque fideliter exhibitos regio missionaria tam bene se habuit, ut de evectione eius in Vicariatum Apostolicum cogitari posset, generaliter aliquatenus mirum est eundem Vicarium Apostolicum non esse factum. Nonnulli autem putant causam partim in querelis anno 1896° de ipso prolatis quaerendam esse (*cfr* supra cap. 3.2.2.2.). Sed etiam sententia profertur Cassianum Spiss electum esse, quia eius eruditio theologica melior fuisset et quia fuisset «candidatus securior», cum eius indoles esset mitior. Fortasse praeter votum Ildefonsi Schober utrumque valet. - *Cfr* Leander BOPP (1956), p. 122; Lambert DOERR (2003), pp. 274 sq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 61.

*) Schiria: *Scheyern*. - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 215.

quia omnes alii ipsum episcopum fore putaverant et deinde ob repulsam misericordiā quādam eum tractaverunt.¹²⁷

Tamen etiam P. Cassianus Spiss, qui illo tempore, quo nuntium accepit, ad recreationem capiendam atque valetudinem restituendam in patriā suā Tirolīā versabatur, propter eventum sibi inopinatum obstupefactum atque perturbatum fuisse videtur.

Nihilominus Ottilianis erat magnum gaudium, quod eorum regio missionaria tunc in Vicariatum Apostolicum reddebatur. Similiter valde gavisi sunt, unum ex confratribus iam ad dignitatem episcopi evectum esse. Duobus autem mensibus postquam nuntius allatus est, id est die 16^o m. Nov. a. 1902^o P. Cassianus Spiss in abbatia Ottiliensi episcopus consecratus est.¹²⁸ Ipsa sollemnitas erat magna,¹²⁹ cui multi homines intererant. Ipse episcopus novus Augustanus Maximilianus von Lingg P. rem Cassianum Spiss consecravit assistentibus episcopo Antonio Henle Passaviensis atque Sigismundo von Ow episcopo auxiliari Ratisbonensi.¹³⁰ Itaque primus Vicarius Apostolicus Cassianus Spiss eodem die episcopus consecratus est, quo quindecim annis ante, id est die 16^o m. Nov. a. 1887^o, decreto Congregationis de Propaganda Fide Praefectura Apostolica Zanguebariae meridionalis instituta atque Ottiliensi consociationi missionariae Sancti Benedicti attributa erat.¹³¹

¹²⁷ Cfr Leander BOPP: Maurus Hartmann (1956), p. 412; Leander BOPP (1956), pp. 122 sq. - P. Maurus Hartmann in initio mensis Octobris a. 1902ⁱ in Africam revertit, ubi superior stationis Madibirae factus labores missionarios continuavit. Ibīdem die 19^o m. Aug. a. 1905^o vitā functus est.

¹²⁸ Cfr Chron. Ottil. m. Nov. a. 1902; Missionsblätter 6, 1902, p. 98; Leander BOPP (1956), p. 125; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 64 nr 384; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 319; Hartmut MADL (1999), p. 77; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 94; Lambert DOERR (2003), p. 275; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 61.

¹²⁹ Sollemnitas ipsa fuse atque singillatim describitur in Chron. Ottil. m. Nov. a. 1902 et in «*Paginis missionariis*» [Missionsblätter] 6, 1902, pp. 98 sqq.

¹³⁰ Cfr Missionsblätter 6, 1902, p. 98; Leander BOPP (1956), p. 125; Frumentius RENNERT: Leuchter I (²1979), p. 319; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 61; Lambert DOERR (2003), p. 275.

¹³¹ Cfr supra cap. 2.3.3.1.

3.4.4. De electione primi abbatis

Ildefonsus Schober, cum evectionem abbatae apud Congregationem de Propaganda Fide peteret, difficultates cum regimine Bavarico atque cum episcopo Augustano hac in re fore iam praevidebat. Et hōc quidem recte timuit, ut apparuit. Etiam deliberationes praeviae, quas ipse ad problemata quadamtenus vitanda ad effectum adducere conatus est, in irritum ceciderunt. Nam cum die 7^o m. Sept. a. 1902^o Monacensis Nuntiatura Apostolica Bavari- co ministerio rerum externarum indicaret prioratum Ottiliensem ab Congregatione de Propaganda Fide in abbatiam erectum esse, ab regimine Bavarico vehementer reclamabatur et tota condicio perturbata esse videbatur.

Unā ex parte enim ministerium rei culturalis questum est erectionem abbatae tantummodo supremā licentiā Bavaricā fieri posse atque antequam res diligenter non inquisita esset, decretum Congregationis de Propaganda Fide non esse validum.¹³² Officiales ergo offensi erant, quia se et episcopalem ordinariatum neglectos fuisse putaverunt. Alterā ex parte - et hōc non erat minimi momenti - ministerium rei culturalis etiam vehementer questum est, quod petitio ad abbatiam constituendam non ab Priore monasterii, sed ab superiore generali prolata erat, qui, cum esset abbas Seccoviensis, esset extraneus.¹³³ Itaque hōc in conexū denuo ille timor iam saepius exhibitus apparuit, quo dependentia alicuius monasterii Bavarici ab monasterio «extraneo» coniciebatur et quo iterum iterumque difficultates exortae sunt.¹³⁴

¹³² Cfr Leander BOPP (1952), p. 8; Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), p. 320; Hans MAIER: Gründung des ersten deutschen Missionshauses in der Zeit des Kulturkampfes. In: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, p. 17; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 805; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 58.

¹³³ Cfr Johanna BUSCHMANN (2003), p. 91; Frumentius RENNER: Leuchter I (21979), pp. 320 sq., qui etiam partem epistulae ab ministerio ad Nuntiaturam Apostolicam directae ad verbum affert.

¹³⁴ Decursū mensis Septembris a. 1902ⁱ Ildefonsus Schober ipse cum administro publico rei culturalis de quaestionibus dubiis colloqui voluit, sed administro absente solum eius vicegerentem invēnit. Scitū autem digna sunt ea, quae Ildefonsus Schober in epistulā die 29^o m. Sept. a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne directā (ASO, A.1.8.1) de illo colloquio rettulit. Scripsit enim idem se invenisse vicegerentem administri virum, qui condicionum omnino imperitum fuisset, et se cum ipso disputationem satis vividam habuisse. Videtur vero ille vicegerens Ildefonsum Schober satis despicienter tractavisse ei significans eius opera superioris generalis officialiter nihil valere. Rettulit autem Ildefonsus Schober sibi tristissimum fuisse, quod in actis illius vicegerentis (qui nihil aliud sciret ac acta) inveniretur documentum ordinariatūs Augustani, quo superior

Sed difficultates omnimodo amovendae erant, quia cum agnitione abbatae etiam electio primi abbatis cohaerebat. Itaque rebus sic stantibus tantummodo unus modus progrediendi relinquebatur, id est Ottiliensis Prior P. Ludgerus Leonard die 4^o m. Oct. a. 1902^o eandem petitionem abbatae erigendae per ordinariatum episcopalem Augustanum ad régime Bavaricum direxit.¹³⁵ Tamen ab regimine non solum iterum explicationes ab Priore postulabantur, sed régime Bavaricum etiam ad Berolinense ministerium rerum exterarum se convertit interrogans, quid et quanta Ottiliani imprimis in rebus missionariis efficerent atque praestarent.¹³⁶ Cum responsum Berolinense non solum esset positivum, sed prorsus laudativum, régime Bavaricum diutius refragari non valuit. Itaque Kalendis Decembribus a. 1902ⁱ Princeps Luitpoldus regni administrator supremā licentiā erectionem abbatae ratam habuit.¹³⁷

Tamen in decreto regiminis iterum restrictiones inveniuntur. Nam postulabatur, ut abbatia maneret independens ab aliquo monasterio extero, id est non Bavarico, et ut abbatia sub iurisdictione episcopi maneret.¹³⁸ Tamen huiusmodi postulatio erat mira atque quadamtenus vana, cum secundum ius ecclesiasticum abbatia per se esset exempta atque custodiae episcopali subtracta.

Abbatiā autem erectā necessario agebatur de electione primi abbatis. Sed propter postulata regiminis, quae novus episcopus Augustanus Maximilianus

generalis aestimabatur nihil esse nisi testis (agebatur de Ildefonsi Schober subscriptione, cum Constitutiones Ottilienses regimini traderentur). Porro Ildefonsus Schober scripsit se tali modo progrediendi et se gerendi vehementer contradixisse, cum esset contra conventiones inter Romam atque régime statale initas.

¹³⁵ Cfr Leander BOPP (1952), p. 8; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 321; Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 352; Hans MAIER (1982), p. 17; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 91; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 58.

¹³⁶ Cfr Hans MAIER (1982), p. 17; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 322; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 805; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 91.

¹³⁷ Leander BOPP (1952), p. 8; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 322; Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 352; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306; Hans MAIER (1982), p. 17; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 805; Hartmut MADL (1999), p. 78; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 91; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 58.

¹³⁸ Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 58; Leander Bopp (1952), p. 8; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 322 sq.; Viktor DAMMERTZ: Grundlegung. In: Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 352.

von Lingg¹³⁹ stricte sequi voluit,¹⁴⁰ novae difficultates exortae sunt. Nam inter Maximilianum von Lingg atque Ildefonsum Schober dissensiones erumpabant de exemptione abbatae atque imprimis de quaestione, cui in electione abbatis ius praesidii esset. Hac enim in condicione episcopus unā ex parte iurisdictione suā ab regimine asseveratā uti voluit, alterā ex parte Ildefonsus Schober ius ecclesiasticum, quod hac in re magis valere ipsi persuasum erat, omnes omnimodo sequendos esse putavit.¹⁴¹

¹³⁹ Maximilianus von Lingg natus erat die 8^o m. Mart. a. 1842^o in Algoico vico Nesselwang ex familiā simplici exoriundus. Inde ab anno 1861^o Monaci atque Romae theologiae studuit et anno 1865^o sacerdotio auctus est. Sed etiam in studia iurisprudentiae incubuerat, quā in disciplinā anno 1869^o in doctores promotus est. Inde ex anno 1868^o per quinquennium ei tradita est educatio filiorum Adalberti Villelmi principis Bavariae. Ex illo tempore oritur et protectio familiae regiae, quam in Maximilianum von Lingg exseruit, et fidelis adhaerentia Maximiliani von Lingg erga Wittelsbacenses. Anno 1874^o itaque idem ab rege Ludovico II professor historiae ecclesiasticae atque iuris canonici in statali lyceo Bambergensi institutus est. Tamen etiam cursum honorum in hierarchiā ecclesiasticā secutus est. Sic ex. gr. anno 1881^o capitularis ecclesiae cathedralis Bambergensis factus est atque anno 1885^o titulum cappellani honorarii Summi Pontificis accepit atque anno 1891^o vicarius capitularis factus est. Postquam episcopus Augustanus Petrus von Hötzel mense Martio a. 1902ⁱ vitā functus est, Luitpoldus princeps administrator Maximilianum von Lingg successorem eius nominavit et etiam régimen Bavaricum Maximiliano favebat. Tamen difficultates quaedam exortae sunt, cum Monacensis Nuntius Apostolicus Sebastianus Nicotra variis ex causis alium successorem in ordiariatū Augustano praetulisset. Itaque res per plures menses protracta est. Sed denique die 9^o m. Iun. a. 1902^o Maximilianus von Lingg ab papa Leone XIII episcopus confirmatus atque die 20^o m. Iul. a. 1902^o ab archiepiscopo Monacensi consecratus est. Vitā autem functus est die 31^o m. Maii a. 1930^o duodenonaginta annos habens. - Cfr Manfred BERGER: s.v. Lingg, Maximilian Ritter von. In: Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon 28, 2007, coll. 1028 sqq.; Engelbert BUXBAUM: Maximilian von Lingg 1842-1930. Leben und Wirken eines Bischofs nach eigenen und zeitgenössischen Dokumenten. St. Ottilien 1982.

¹⁴⁰ Propter affinitatem suam ad domum regiam videtur Maximilianus von Lingg numquam quicquam facere voluisse, quod contra proposita voluntatemque regiminis erat. - Cfr etiam Engelbert BUXBAUM (1982), p. 57. - In epistolā die 18^o m. Iun. a. 1905^o ad Hildebrandum de Hemptinne directā (ASO, A.1.8.1) Ildefonsus Schober cum alia scripsit tum haec: «*Numquam vel solum difficillime praesens episcopus Augustanus aliquid faciet, quo in minimam collisionem cum regimine incideret. De talibus punctis cum ipso, ut audivi, sermo institui non potest, cum tunc fieret excitatus atque inaccessibilis.*» (Textus originaliter Theodiscus).

¹⁴¹ Cfr Leander BOPP (1952), p. 10; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 323; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 60.

Cum esset quaestio principalis Ildefonsus Schober hac in re se recessurum non esse constituerat. Itaque iam die 5^o m. Dec. a. 1902^o idem curavit, ut secretarius ipsius P. Petrus Döink commentarium scriptum ad episcopum



Maximilianus von Lingg,

quōque Augustanum transferret.¹⁴² Ibīdem autem condiciones iuridicas exacte explicuit.¹⁴³ Nam argumenta protulit haec: Congregationem de Propaganda Fide superiorem generalem instituisse, eius munus prolongavisse, erectionem prioratūs eiusque evectionem in abbatiam curavisse episcopo non participante. Praeterea Abbatem Primate in epistolā officiali clare scripsisse tantummodo relationes inter monachos atque sanctimoniales et inter monasterium atque populum ecclesiasticum ad episcopum pertinere. Unde manifestum esset Sanctam Sedem congregationem Ottiliensem ab episcopo independentem esse velle. Talia etiam inde intellegi, quod congregatio Ottiliensis ut missio-

naria esset extra Germaniam extenta et iurisdictio alicuius ordinarii localis numquam extra propriam dioecesim extendi posset. Eā de causā regiminis postulata iam in Constitutionibus Theodiscis exhibita non esse valida. Ex his aliisque argumentis etiam clare apparere praesidium in primo abbate eligendo ad superiorem generalem

¹⁴² Se hunc commentarium ad Abbatem Primate, ad episcopum Augustanum, ad Ottilianos atque ad Monacensem Nuntium Apostolicum missurum esse Ildefonsus Schober explicat in epistolā die 5^o m. Dec. a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne directā (ASO, A.1.8.1). - Episcopus hunc commentarium die 9^o m. Dec. a. 1902^o accepisse videtur, ut ex eius epistolā die 10^o m. Dec. a. 1902^o ad Ildefonsum Schober directā apparet (ASO, A.2.1.6).

¹⁴³ *Cfr* Promemoria über Wahl-Bestätigung eines Abtes in St. Ottilien und General-Superiors der Benediktiner Congregation von St. Ottilien für ausländische Missionen (ASO, A.3.3.2 (copia ex archivio Sancti Anselmi deprompta)). - *Cfr* etiam Leander BOPP (1952), pp. 9 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 323, qui adn. 371 scribit commentarium die 11^o m. Dec. a. 1902^o scriptum esse, quod non ita quadrat cum epistolā supra commemorata (adn. 142), quā episcopus dixit se illum textum die 9^o m. Dec. accepisse.

pertinere.

Episcopus Maximilianus von Lingg his argumentis non erat iucundatus, sed quod attinebat ad abbatae privilegium exemptionis, cum esset ipse iurista, rem ita se habere concedere debuit. Tamen quaestio praesidii in electione exercendi ei quōque erat magni momenti, cum difficultates cum regimine timeret, si recederet. Nihilominus haec quaestio non erat tantummodo problema formale, sed quadamtenus contentio virium inter rem publicam Bavaricam, cuius repraesentans hac in re erat episcopus Augustanus, et Sanctam Sedem, cuius iura Ildefonso Schober defendenda erant.¹⁴⁴

Argumentis ex utrāque parte iam prolatis condicio tamen difficilis mansit. Rebus sic stantibus Ildefonsus Schober die 9^o m. Dec. a. 1902^o P. rem Norbertum Weber subpriorem Ottiliensem, qui bene atque efficaciter cum hominibus de variis rebus disserere potuisse dicitur, ad episcopum Augustanum misit.¹⁴⁵ Effectus huius colloquii revera erat in eo, ut Maximilianus von Lingg praesidium in abbate eligendo ad Ildefonsum Schober delegaret.¹⁴⁶

Ipsam autem electionem Ildefonsus Schober iam pridem diligenter praeparare coeperat. Hōc erat omnino necessarium, cum unā ex parte esset prima electio alicuius abbatis in congregatione Ottiliensi, alterā ex parte res difficilior erat quam in plerisque aliis monasteriis, quia patres quōque sollemniter professi respiciendi erant, qui in regione missionariā versabantur neque ad electionem in patriam reverti potuerunt. Itaque iam in consultationibus cum Norberto Weber atque Paulo Sauter mense Martio a. 1902ⁱ habitis¹⁴⁷ de hac quaestione

¹⁴⁴ *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 10; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 58.

¹⁴⁵ Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 59 sq. protocollum memoriale Norberti Weber in archivio archiabbatae Beuronensis asservatum adhibens de hōc colloquiō refert Norbertum Weber episcopo proposuisse, ut ad rem facilitandam idem praesidium electionis ad Ildefonsum Schober transferret. Cum autem episcopus responderet similiter Ildefonsum Schober ad ipsum praesidium delegare posse, Norbertum Weber callide dixisse eundem hōc certe facturum esse, sed licentiam ex Monaco celerius acquiri posse quam dispensationem ex urbe Roma. Cui argumento episcopus denique cessit.

¹⁴⁶ *Cfr* epistula Maximiliani von Lingg die 10^o m. Dec. a. 1902^o ad Ildefonsum Schober data (ASO, A.2.16). In responso suo die 12^o m. Dec. a. 1902^o dato (ASO, A.2.1.6) Ildefonsus Schober gratias agens totam condicionem denuo explicuit atque scripsit se in casū extremae necessitatis Praefectum Congregationis de Propaganda Fide atque Abbatem Primate[m] rogare paratum fuisse, ut iura ad ipsum pertinentia ad episcopum transferrent. [Utriusque epistulae textus originalis in archivio Sancti Anselmi asservatur.]

¹⁴⁷ *Cfr* supra cap. 3.4.1.4.

agebatur. Probelma autem hunc in modum solutum est, ut patres missionarii methodo non ita facili procuratores in patriā versantes nominarent, quibus confidenter suffragia sua traderent.¹⁴⁸

Die autem 5^o m. Dec. a. 1902^o (eōdem die, quo commentarium de exemptione atque de praesidio electionis ad episcopum miserat) Ildefonsus Schober epistolam circularem ad omnes patres Ottilianos sive domesticos sive missionarios direxit, quā eosdem ad electionem futuri abbatis vocavit.¹⁴⁹ Dies vero huius electionis constituebatur dies 18^o m. Dec. a. 1902^o.

Tamen problema quoddam restabat, quod constitit in Priore P.re Ludgero Leonard. Nam īdem illo tempore libenter abbas Ottiliensis fieri velle videbatur. Sed nemo Ottilianorum, imprimis nemo illorum, qui iam diutius aderant, eum abbatem desideravit. Ab initio enim - uti iam saepius commemoratum est - apparuit eum bene quidem atque efficaciter disciplinam regulasque

¹⁴⁸ Cfr diarium Norberti Weber (9.3.1902; 10.3.1902; Appendices (ASO, A.1.8.1)). Cfr etiam Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), pp. 316 sq.; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 94; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 62; Leander BOPP (1952), p. 11. - Ildefonsus Schober omnes possibilitates atque difficultates in procuratoribus instituendis praedeliberaverat atque missionarios de singulis punctis certiores fecit, ne ex indiligentiā quādam electio in irritum caderet. Imprimis etiam respicienda erat quaestio, quā procuratori omnia vota sibi tradita tantummodo uni candidato attribuere licuit (neque ad plures candidatos distribuere) et praeterea quā nemini semet ipsum eligere licuit. Itaque providendum erat, ne is, quem patres eligi voluerunt, procurator fieret. Pluribus exemplis practicis Ildefonsus Schober rem singillatim explicuit, ut perspicua fieret. - Cum haec exempla, quae in appendice diarii Norberti Weber (ASO, A.1.8.1) singillatim cum explicationibus exhibentur, conspiciantur, animadvertitur, quam exacte, diligentissime atque deliberate Ildefonsus Schober haec omnia praeparaverit.

¹⁴⁹ Cfr Ildefonsi Schober epistula circularis die 5^o m. Dec. a. 1902^o data (ASO, A.1.8.1 (copia ex archivio Suarzacensi deprompta)), cuius textus originaliter Latinus est hic: *«Omnibus has litteras visuris salutem in Domino! Cum Matrocoenobium Congregationis Ottiliensis pro missionibus exteris a S. Sede per Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide diei 28 Iunii huius anni in Abbatiam cum omnibus iuribus et privilegiis erectum iamque accedente Suae celsitudinis regiae Luitpoldi, Bavariae Principis Regentis consensu illi de primo Abbate simulque novo Superiore generali totius Congregationis canonica electione providendum sit, Nos, Ildefonsus Schober, Abbas Seccoviensis, pro tempore Superior generalis eiusdem Congregationis omnes et singulos Capitulares huius Congregationis iure suffragii secundum Ss. Canones et Congregationis statuta gaudentes, scilicet Monachos sollemniter professos et in sacris ordinibus constitutos invitamus et vocamus ad electionem die 18 Decembris huius anni post Missam sollemnem de Spiritu Sancto in aula capitulari Matrocoenobii ad St. Ottiliam celebrandam. In cuius rei fidem has litteras manu subscriptas sigilloque Nostro munitas in propatulo collocari iussimus.»*

monasticas tradere valuisse, sed praeterea eum nimis rigidum fuisse et - quod maximi momenti erat - ei specialem scopum Ottilianum, nempe missionem, omnino alienum fuisse. Quamvis decursū temporis iam saepius ei significatum esset Ottilianos cum rerum perceptione eius magnas difficultates habere, tamen spem suam diu deposuisse non videtur. Alterā ex parte ipsi Ottiliani timuerunt, ne electio eventum inopportunum haberet, quia quadamtenus putaverunt episcopum Augustanum P.ri Ludgerum Leonard ut abbatem Ottiliensem praefere (quod tamen ita se non habuit).¹⁵⁰ Sed monachi Ottiliani aliquem ex suis abbatem habere voluerunt, id quod etiam ab Ildefonso Schober desiderabatur. Hae difficultates diutius protractae sunt, usque dum immediate ante electionem P.ri Ludgero Leonard aperte dictum est ipsum, cum non esset monachus Ottiliensis, sed Beuronensis, in electione abbatis ius suffragii ferrendi neque activum neque passivum habere, quā de causā denique ab suffragiis abstinuit.¹⁵¹

Electio autem ipsa exercitiis duarum septimanarum habitis die proviso, id est die 18^o m. Dec. a. 1902^o, instituebatur. Ildefonso Schober praesidente patres Ottilienses sollemniter professi convēnērunt, cum etiam adessent Dr Petrus Goebel vicarius generalis ut repraesentans episcopi Augustani atque P. Petrus Döink ut Seccoviensis secretarius.¹⁵² Viginti quattuor patribus (una cum eis in

¹⁵⁰ De his curis etiam agebatur in consultationibus mense Martio a. 1902ⁱ factis (*cfr* Norberti Weber diarium (4.3.1902 (ASO, A.1.8.1)). - *Cfr* quōque ex. gr. Ildefonsi Schober epistulae die 15^o m. Sept. a. 1902^o et die 5^o m. Dec. a. 1902^o ad Hildebrandum de Hemptinne datae (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* etiam Johanna BUSCHMANN (2003), p. 94; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 323; Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 55 sq.; Frumentius RENNERT: Benediktinerkongregation (1999), p. 805 adn. 16; Leander BOPP (1952), p. 10. Cyrillus Wehrmeister in recordationibus suis (Erinnerungen, p. 36 (ASO, A.1.8.3)) praeterea refert Ludgerum Leonard non solum aperte monstravisse se libenter abbatem Ottiliensem fieri voluisse, sed, si hoc fieri non potuisset, se etiam sub abbate Norberto Weber munere Prioris fungi desideravisse. Videtur ergo P. Ludgerus Leonard tamen libenter in monasterio Ottiliensi manere voluisse atque discessus suus denique ipsi tristis erat, ut Cyrillus Wehrmeister recordatur.

¹⁵¹ Tamen eius praesentia ut Prior Ottiliensis in ipso actū electionis testificatur eius subscriptione sub protocollo electionis (ASO, A.2.2.1 (copia ex archivio Sancti Anselmi deprompta)).

¹⁵² De modo progrediendi singillatim refertur protocollo electionis, quo etiam subscriptionibus omnia nomina praesentium leguntur, qui erant hi: Ildefonsus Schober O.S.B. Abbas Seccoviensis et p.t. Superior Generalis Congregationis Ottiliensis; Cassianus Spiss O.S.B. Vicarius apostolicus Zanguebariae Meridionalis; Dr Petrus Goebel Vicarius Generalis pro Rev.mo D. Maximiliano Lingg; P. Ludger Leonard Prior; P. Norbertus Weber Subprior; P. Paulus Sauter; P. Dominicus Enshoff; P. Placidus

missione versantibus) suffragia ferre licuit, ex quibus quindecim ipsi praesentes participaverunt. Ex electione autem rite habitā apparuit ex his viginti quattuor suffragiis viginti tria lata esse in P.rem Norbertum Weber, qui usque tunc subprior erat.¹⁵³ Sic P. Norbertus Weber unanimiter primus abbas Ottiliensis electus erat,¹⁵⁴ qui illo tempore triginta duos annos natus erat.

Eodem autem die immediate post electionem Ildefonsus Schober litteris datis cardinalem Hieronymum [*Girolamo*] Mariam Gotti, Praefectum Congregationis de Propaganda Fide atque succesorem cardinalis Ledochowski, rogavit, ut P.rem Norbertum Weber, quem existimavit «*virum tali honore dignum, tali munere et oneri idoneum*», novum abbatem Ottiliensem confirmaret atque

Vogel; P. Coelestinus Maier; P. Clemens Kuenster; P. Bruno Weinrich; P. Matthaeus Schlichting; fr. Amandus Heinze; fr. Simon Trossmann; P. Martinus Malter; P. Cyrillus Wehrmeister; P. Magnus Höfle; P. Hildebrandus Almendinger; P. Petrus Doeink Secretarius. - *Cfr* Acta electionis R.mi Abbatis monasterii ad S. Ottiliam (ASO, A.2.2.1 (copia ex archivio Sancti Anselmi deprompta)). - Textus originaliter Latinus.


¹⁵³ *Cfr* Acta electionis (ASO, A.2.2.1), ubi de ipsa electione leguntur haec: «*Ipsa hac die 18 Dec. post Missam sollemnem de Spiritu Sancto hora 9 ½ ad signum campanulae Electores in Capitulum convenerunt, ubi praedicto R.mo D.mo Superiore Generali praeside, in praesentia Rev.mi D.ni Dr Goebel Vicarii Generalis Augustani, omnia secundum ss. Canones et Rituale Monasticum peracta sunt. Brevi nempe sermone a. Rev.mo D.no Praeside habito et rotulo Electorum lecto, absentium litterae procuratoriae sunt exhibitae et constituti Procuratores ad electionem admissi: deinde post invocationem Spiritus Sancti et absolutionem a censuris ad cautelam R.mus D.nus Praeses Electores omnes itemque tres Scrutatores iuramenta secundum ss. Canones praestiterunt. Suffragia exinde secreta sunt lata, alta voce numerata, collata, lecta, unde apparuit ex 24 suffragiis lata esse 23 in R.P.D. Norbertum Weber, hucusque Subpriorem. Itaque R.mus D. Praeses decretum communis electionis promulgavit atque Electi consensum requisivit et obtinuit.*» (Textus originaliter Latinus). - *Cfr* Chron. Ottil. m. Dec. a. 1902; Leander BOPP (1952), p. 11; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 64 nr 386; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 324; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 94; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 32; Godfrey SIEBER (1992), p. 130; Hartmut MADL (1999), p. 78.

¹⁵⁴ Vicesimum quartum suffragium erat ipsius Norberti Weber, cui secundum regulas semet ipsum eligere non licuit. Cyrill SCHÄFER (2005), p. 62 certe recte putat de electionis eventū desiderato iam antea in conventū Ottiliensi colloquia instituta esse. Tamen illa unanimitas est magni momenti. Videtur etiam nullus pater, qui in regione missionariā operabatur, Norbertum Weber procuratorem instituisse, quia ei suffragia ipsi tradita etiam ad personam suam eligendam adhibere non licuisset. Inde apparet patres missionarios quōque Norbertum Weber abbatem eligi voluisse.

Papae commendaret.¹⁵⁵

Die autem 21^o m. Ian. a. 1903^o Congregatio de Propaganda Fide electionem Norberti Weber abbatis confirmavit decreto, quod est hōc:¹⁵⁶

«Cum nuper transmissa fuerint ad hanc S. Congregationem de Propaganda Fide acta electionis R.P. Norberti Weber, hucusque Subprioris Abbatiae S. Ottiliae O.S.B. in Dioecesi Augustana in Bavaria, in Abbatem praedicti Monasterii die 18 Dec. superioris anni legitime peractae: S. haec Congregatio supramemoratis documentis attente inspectis electionem praefati P. Norberti Weber in Abbatem Ottiliensem ratam habendam ac confirmandam esse duxit: ac ad id iussit praesens decretum confici.»



Abbas Norbertus Weber.

Mirum vero in modum régime Bavaricum illā in re celerius egit quam Vaticanum, cum nullā difficultate exhibitā iam die 10^o m. Ian. a. 1903^o ab Principe Administratore electio abbatis agnosceretur.¹⁵⁷ Hunc in modum via aperiabatur ad ultimum actum, qui hōc

¹⁵⁵ Cfr epistula Ildefonsi Schober die 18^o m. Dec. a. 1902^o ad cardinalem Hieronymum Gotti data (ASO, A.2.2.1 (copia ex archivio Sancti Anselmi deprompta). - Textus originaliter Latinus. - Eodem die Ildefonsus Schober etiam episcopum Augustanum certiore fecit eumque rogavit, ut abbatem recenter electum erga régime Bavaricum exhiberet aptum dignumque.

¹⁵⁶ Cfr decretum die 21^o m. Ian. a. 1903^o exhibitum (ASO, A.2.2.1 (copia ex archivio Sancti Anselmi deprompta). - Textus originaliter Latinus). - Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306; Leander BOPP (1952), p. 11; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 324; Hartmut MADL (1999), p. 78 adn. 207. Cyrill SCHÄFER (2005), p. 63 adn. 111 indicat diem 22^{um} m. Ian. a. 1903^o confirmationis, verisimiliter eā de causā, quia cardinalis Gotti die 22^o m. Ian. a. 1903^o epistulam ad Ildefonsum Schober direxit, cui documentum decreti subiunxit («*adnexo huic epistulae documento*») et quā praeter alia etiam agebatur de benedictione abbatis (cfr ASO, A.3.3.3).

¹⁵⁷ Cfr Leander BOPP (1952), p. 11; Frumentius RENNERT: Leuchter I (1979), p. 324; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306; Hartmut MADL (1999), p. 78 adn. 207.

in conexū necessarius erat, nempe ad benedictionem novi abbatis. Ildefonsus autem Schober tunc munus suum superioris generalis bonā conscientiā depōnere potuit, cum omnia ordinavisset et condiciones illuc adduxisset, ut Ottiliani sui iuris essent atque propriis pedibus stare possent. Munus vero, quod variis ex causis ei grave erat, tamen uno oculo gaudente, altero lacrimante deposuit, cum decursū annorum arta coniunctio inter ipsum atque Ottilianos exorta esset.¹⁵⁸

Ipsa autem sollemnitas, quā novus abbas benedictionem accepit, Kalendis Februariis a. 1903ⁱ instituta est.¹⁵⁹



*Abbatiale insigne abbatis Norberti Weber.
[Missionsblätter 7, 1903, p. 3.]*

Pluribus abbatibus prioribusque aliorum monasteriorum Benedictinorum praesentibus episcopus Augustanus Maximilianus von Lingg abbati Norberto Weber in Ottiliensi ecclesiā monasteriali¹⁶⁰ benedictionem praebuit.¹⁶¹ Tamen omnibus valde dolentibus Ildefonsus Schober malā valetudine impeditus adesse non valuit atque culmen laborum suorum participare non potuit.¹⁶²

¹⁵⁸ Die 24^o m. Dec. a. 1902^o in fine muneris superioris generalis Ildefonsus Schober ultimam epistolam circularem ad Ottilianos singulos universos direxit (ASO, A.1.8.1), quā quōque elucet, quantopere monachi Ottilienses atque Ildefonsus Schober invicem dilexerint.

¹⁵⁹ Cfr Chron. Ottil. m. Ian. a. 1903; Missionsblätter 7, 1903, p. 2; Cyrillus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), p. 37 (ASO, A.1.8.3); Paulus WEISSENBERGER (1953), pp. 64 sq. nr 387; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 306; Leander BOPP (1952), p. 11; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 324; Hartmut MADL (1999), p.78; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 63; Johanna BUSCHMANN (2003), p. 94.

¹⁶⁰ De hōc aedificio cfr infra cap. 3.5.1.

¹⁶¹ De ipsā sollemnitate singillatim atque fuse refertur in Chron. Ottil. m. Ian. a. 1903 atque in «*Paginis missionariis*» [Missionsblätter] 7, 1903, pp. 2 sqq.

¹⁶² Ildefonsum Schober non adfuisse dolenter commemorant chronista Ottiliensis [Chron. Ott. m. Ian. a. 1903, p. 7] et auctor relationis in «*Paginis missionariis*» [Missionsblätter 7, 1903, p. 6] exhibitae. - Cfr etiam Johanna BUSCHMANN (2003), p. 94; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 63. - Mirum autem in modum Paulus WEISSENBERGER (1953), pp. 64 sq. nr 387 contra indicia fontium expressis verbis affirmat benedictionem abbatis Ildefonso Schober praesente celebratam esse.

Norbertus Weber, cum munus suum abbatis susciperet, sibi sententiam insigni abbatiali inscribendam elegit, quae ex hymno Mariano deprompta est haec: «*Ave Maris Stella*». In imagine autem insignis monstratur navicula, quae in alto mari fluctuans stellam lucentem sequitur. In Beatam Mariam Virginem quidem confisus Norbertus Weber tamen opus haud facile suscepit, cum foundationem modo aliquatenus stabilitam atque abbatiam recenter erectam unā cum monachis ei commissis¹⁶³ in tempus futurum prosperum ducere deberet.

3.4.5. De indole Ildefonsi Schober et de eius effectum pro Ottilianis

Ex conexū relationis certe iam animadvertebatur, qualis vir fuisset Ildefonsus Schober. Cum autem idem pro exsistentiā atque progressū congregationis Ottiliensis tam maximi momenti fuerit, tamen rem paululum comprehendere volumus.

Ildefonsus Schober non solum erat monachus abbasque stabilitus, peritus atque profundā pietate praeditus, sed etiam erat vir intellegens, bene eruditus impigerrimus et insuper magnae benignitatis. Hanc mixtionem optimam etiam Ottiliani statim percipiebant, cum Ildefonsus Schober ad visitationem instituendam veniret. Itaque ab initio magna fiducia inter Ottilianos et ipsum exorta esse videtur, quae usque ad finem eius muneris, quo superioris generalis fungebatur, et ultra perduravit.¹⁶⁴

Quamvis res missionaria non pertinuisset ad genuinos scopos Ildefonsi Schober, tamen tam apertae atque latae mentis erat, ut rem neque respueret neque Ottilianos ab fine peculiari abalienare conaretur. Nihilominus semper clare atque distincte pronuntiavit se fundamento monastico Benedictinoque neglecto ad opera firmanda stabiliendaque non praestare.

¹⁶³ Cum Norbertus Weber factus esset abbas, in monasterio Ottiliensi versabantur nonaginta novem monachi, ad quos adnumerandi erant viginti sex patres fratresque, qui in regione missionariā operabantur. - *Cfr* Godfrey SIEBER (1992), p. 132; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 15.

¹⁶⁴ Sic etiam Cyrillus WEHRMEISTER: Erzabt Ildefonsus Schober. *In*: Missionsblätter 1917/18, p. 146. Cyrillus Wehrmeister tempore Ildefonsi Schober iam monachus Ottiliensis erat atque eundem ipse bene novit. Tamen haec aestimatio non solum invenitur in eius necrologio de Ildefonso Schober scripto, sed etiam in eius recordationibus non divulgatis. *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER: Erinnerungen (s.a.), pp. 33, 36 (ASO, A.1.8.3). - *Cfr* etiam Leander BOPP (1956), p. 118.

Generaliter autem Ildefonsus Schober modum laborandi efficacem, strictum deliberatumque habuit, quem Ottiliani usque tunc nondum ita experti erant.



*Ildefonsus Schober,
abbas Seccoviensis et deinde
archiabbas Beuronensis.
Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER
(2003), p. 96.*

Cum eius methodum procedendi variis in condicionibus recogitaremus, animadvertere potuimus eum semper colloquium cum illis quaesivisse, ad quos res quaedam pertinebat, et eum quam plurimum consultationes instituere conatum esse cum illis, qui rei, de quā agebatur, responsales erant. Alterā ex parte etiam solleter usus est nexibus cum aliis hominibus auctoritate praeditis atque potestatibus ei traditis.¹⁶⁵ Etiam si Ildefonsus Schober impigerrime operatus est atque ei de multis problematis practice solvendis cogitandum erat, tamen proposita monastica atque spiritualia numquam ex eius mente exciderunt eaque ad effectum adducere non desiit.

Ildefonsus Schober videtur vir vere affabilis fuisse, sed etiam modum certum habuit. Ipse erat modestus, dignitate plenus atque hunc in modum sympathias sibi conciliare valuit. Cum spiritum monasticum bene coniungere

valeret cum solido sensū practico atque cum peritiā humanae naturae, etiam ab subditis eos non dissimulato modo se gerere atque aperte cum ipso loqui expectavit.¹⁶⁶ Nonnulli autem Ottiliani illo tempore aliquatenus alieni erant ab systemate Benedictino et hoc fastidium Ildefonso Schober verbis apertis (interdum non ita subtilibus) protulerunt. Etiam eius modus placandi nonnumquam ei opprobrio datus est.¹⁶⁷ Sed propter eius indolem bonam, modicam benignamque omnibus opiniones suas aperte proferre licuit neque Ilde-

¹⁶⁵ Cfr Johanna BUSCHMANN (2003), pp. 87 sq.

¹⁶⁶ Cyrillus WEHRMEISTER (1917/18), p. 147; Cyrillus WEHRMEISTER: *Erinnerungen* (s.a.), p. 33 (ASO, A.1.8.3); Leander BOPP (1956), p. 118.

¹⁶⁷ Cfr Leander BOPP (1956), p. 118.

fonsus Schober se offensum sensit.¹⁶⁸ Tamen in casū necessitatis ipse quōque in rem maioris momenti insistere valuit neque recessit.

Illis vero annis nihil melius Ottilianis accidere potuit quam Ildefonsum Schober cognoscere atque superiorem generalem accipere. Idem enim, cui plerique revera maximā aestimatione adhaerebant, impigerrime operando id effecit, ut monasterio congregationique Ottiliensi fundamentum et iuridice et monastice stabilitum atque structuram claram daret, ita ut Ottiliani propriis pedibus stare atque propriis viribus operari valerent. Putatur autem congregatio Ottiliensis illo tempore verisimiliter in periculo dissolvendi fuisse, nisi Ildefonsus Schober fuisset.¹⁶⁹ Iure meritoque et contemporanei et investigatores posteriores Ildefonsum Schober secundum fundatorem patremque congregationis Ottiliensis appellaverunt.¹⁷⁰ Sed etiam hodierni monachi Ottilienses - ut ex colloquiis apparuit - adhuc bene sciunt, quid in Ildefonso Schober habuerint, quantum ei debeant et quantopere gratum animum in eum adhuc habeant.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LAT. 184, 2011, pp. 175-221]

¹⁶⁸ Nonnulla exempla huiusmodi praebet etiam Cyrillus Wehrmeister in recordationibus suis (Erinnerungen (s.a.), pp. 33 sq. (ASO, A.1.8.3)).

¹⁶⁹ *Cfr* ex. gr. Leander BOPP (1956), p. 118.

¹⁷⁰ *Cfr* ex. gr. Cyrillus WEHRMEISTER (1917/18), p. 145; Johanna BUSCHMANN (2003), pp. 98 sq.; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 326; Godfrey SIEBER (1992), p. 130; Suso BRECHTER (1963), p. 267.